

Bullae Bonifacii IX. P.M. IX. Bonifácz pápa bullái, 1389-1396

Catholic Church.
Pope (1389-1404 : Bonifacius IV)



Sanctissimus Dominus Noster *Leo XIII.* Pontifex Maximus, in audientia 25. Maji anni 1884. duo volumina huius operis, Eidem devotissime oblata, acceptando, offerentes hoc sermone affatus est:

Dilecti Filii.

Tabularium Vaticanum sponte et libenter eruditorum virorum industriæ patere iussimus, ut veterum pervestigatio monumentorum disciplinis historicis maius lumen afferet. Volumus enim et debemus quantum possumus (quæ est Apostolicæ Sedis hæreditaria laus) bene mereri de studiis optimis, et artes omnes, quæ ad incrementa humanitatis pertinent, singulari cura patrocinioque tueri. Præterea nihil est, quod Ecclesiæ aut Pontificibus Maximis ab inquisitione veri metuamus; quin immo non exiguam utilitatis spem in ea ipsa inquisitione positam certo scimus. Etenim monumenta rerum gestarum explorate cognita multum valere possunt ad illustranda Ecclesiæ Romanique Pontificatus benefacta, emendatis confutatisque pluribus, quas hominum aut incuria fudit aut invidia peperit, opinionibus.

Quod idem confirmatum videmus, dilecti filii, testimonio vestro: qui cum monumenta Tabularii Vaticani Hungarica, a sæculo XIV. ineunte, sedulo indaganda eademque publicanda curaveritis, æqualibus posterisque proditistis, quod et quanta fuerint illo ipso tempore Decessorum nostrorum in Hungarorum genus merita. Nondum depulsis ævi, quod medium appellant, tenebris, inflammatisque ad perniciosa dissidia animis, maiores vestri præclara illa munera, quæ a vobis commemorantur, ab hac Sede Apostolica adepti sunt: «*humanitatem et pacem, civilem et sacram disciplinam, mores, doctrinam, leges, constantiam in adversis, gloriam in prosperis*».

Jamvero, pro locorum temporumque varietate, similia extiterunt Romani Pontificatus in ceteras gentes beneficia; eaque, ut confidimus, meliore in luce collocabuntur accurata rerum historicarum pertractatione, cui auctoritate auspiciisque Nostris diligens iam datur opera.

Ad vos quod attinet, geminis voluminibus acceptis, lætamur his primitiis et quasi libamentis laborum vestrorum; simulque Episcopis, Capitulis et ceteris ex Hungaria viris dignitate conspicuis, qui industriam vestram liberalitate sua complectuntur, gratulamur hos munificientiæ suæ fructus; atque operis utilitate perspecta, utrosque hortamur, ut retineatis, alteri in doctis laboribus, alteri in liberalitate constantiam. Vobis interim illisque universis, cœlestium munerum auspicem et paternæ benevolentiæ Nostræ testem Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

* * *

MONUMENTA VATICANA

HISTORIAM REGNI HUNGARIÆ ILLUSTRANTIA.

SERIES I.

TOMUS I. Rationes Collectorum Pontificiorum in Hungaria. 1281—1375. (Budapestini 1887. pp. LXXVII. et 524.)

TOMUS II. Acta Legationis Cardinalis Gentilis. 1307—1311. (Budapestini 1885. pp. CXX. et 512.)

TOMUS III. Bullæ Bonifacii IX. P. M. 1389—1396. (Budapestini 1888. pp. XXXVIII. et 368.)

SERIES II.

TOMUS I. Relationes Oratorum Pontificiorum 1524—1526. (Budapestini 1884. pp. CLIII. et 472.)

TOMUS II. Relationis Cardinalis Buonvisi in Imperatoris et Regis Hungariæ Nuntii Apostolici Anno 1686 exaratæ. (Budapestini 1886. pp. CLV. et 310.)

MONUMENTA VATICANA HUNGARIÆ.

*

VATIKÁNI MAGYAR OKIRATTÁR.

MONUMENTA VATICANA

HISTORIAM REGNI HUNGARIÆ ILLUSTRANTIA.

SERIES PRIMA. TOMUS TERTIUS.

*

VATIKÁNI MAGYAR OKIRATTÁR.

ELSŐ SOROZAT. HARMADIK KÖTET.

BUDAPESTINI

1888.

BULLÆ

BONIFACII IX. P. M.

*

IX. BONIFÁCZ PÁPA BULLÁI

1389—1396.

BUDAPEST

1888.

Franklin-Társulat nyomdája

GUILIELMI FRAKNÓI

E. CATH. VARADIENSIS CANONICI

PROLEGOMENA AD BONIFACII IX. BULLAS REGNI HUNGARIAE HISTORIAM ILLUSTRANTES.

1389—1396.

I.

Bullæ Pontificiæ, hoc in tomo publici iuris factæ, tempore schismatis magni occidentalis conscriptæ sunt; quod tempus historiæ Sedis Apostolicæ luctuosissimam quidem epocham constituit, at una vitæ Summi Pontificatus, superna virtute suffultæ, efficaciam, fata gentium ordinandi, jam munere suo adumbratam, luculentissime demonstrat.

Urbanus VI. anno 1378 cathedram s. Petri ascendens, lubentissime fervidis populorum christianorum annuebat votis, domiciliumque Summorum, Pontificum, Avenione relicta, Romæ defixit. Nihilominus plures Cardinales, gloriæ et emolumenti regni Galliæ cupidi, defecerunt ab illo, electionem ipsius invalidam declararunt, et Robertum Cardinalem, Clementis VII. nomen assumentem, Pontificem elegerunt.

Hic dein, favori opibusque regum Galliæ Neapolisque innixus, omnia movit, ut ceteros quoque christianorum principes, præsertim horum potentissimum: regem Hungariæ, inter suos sequaces adscisceret.

Regni Hungariæ gubernacula hac ætate Ludovicus I., cognomento Magnus, capessierat. Hic tamen, quamvis arctus consanguineitatis nexus inter ipsum fautoresque Antipapæ intercesserit, inconcussa fidelitate adhæserat legitimo Ecclesiæ capiti, omnique meliori modo, unacum imperatore, Clementi VII., ut munere abscederet, persuadere nitebatur. Cum autem conatus pii in irritum cecidissent, iteratis vicibus Urbano VI., missis exercitibus, adiutorio fuit, imo iam per se, cum numerosa bellatorum manu, in Italiam ire decrevit; ast quominus propositum effectu donaret, morbo ingravescente, moxque secuta morte (1382, 14 Septembris) prohibitus est.

Maria et Sigismundus, Regis magni successores quidem, at rerum gestarum magnitudine potentiaque multo minores, constanter secuti sunt viam, per prædecessorem eorum inauguratam. Licet exemplum eius in omnibus imitari impares viribus fuere, Urbano VI. fidelitatem servarunt, nec ullo momento se ab illa divelli passi sunt.

Gens Hungara tota regum suorum sententiam secuta est, si

unum alterumve virorum ecclesiasticorum, partes Clementis VII. amplexantium, excipias.[1]

Urbano VI. e vivis erepto, Cardinales Romæ commorantes, anno 1389 2-a die Novembris, voce concordi, Cardinalem Tomacelli elegerunt Summum Pontificem, qui nomine Bonifacii IX. assumpto, 9-a Novembris tiara redimitus est.

Sigismundus et Maria, nihil cunctati, novum Pontificem quoque certiorem reddiderunt de reverentia fidelitateque sua; hic vero non una vice magnæ laudis præconio extollit «eximium fervorem, quem charissimus in Christo filius Sigismundus Rex Hungariæ, ac incolæ dicti regni» erga se Sedemque Apostolicam fovent. (Regestum CCLXXX.)

II.

Historia regiminis Bonifacii IX. conscribi omni, ut par erat, apparatu, hucusque vix potuit.

In Tabulario Vaticano secreto litterarum eius, quod mireris, admodum paucæ inveniuntur. Cum litteræ Clementis VI., unius ex prædecessoribus eius, per 11 annos gubernii sui exaratæ, 144 tomos efficiunt, e tempore Bonifacii IX. regiminis, 17 annos durantis, ibidem solummodo 9 tomi reperiuntur.[2]

At fontem multo uberius scaturientem, regimini Bonifacii IX. illustrando, præbet alterum Tabularium Sedis Apostolicæ, quod Datariæ dicimus.

Dataria est tribunal antiquissimis iam temporibus vigens[3] et Summi Pontificis in regenda ecclesia adjumentum vix ulli secundum, in quo gratiæ in foro externo conceduntur. Ad hoc collegium pertinebant et ex parte adhuc pertinent: collatio beneficiorum Sedi Apostolicæ reservatorum, dispositiones circa beneficia, iuraque patronatuum, dispensationes super irregularitatibus, necnon votis, iuramentis, matrimonii diversis impedimentis etc.

---

[1] Tales noscuntur: Vladislaus, Abbas Sacrimontis Pannoniæ et nonnulli præpositi ordinis Præmonstratensis. (Relationem Hungariæ ad schisma magnum occidentale erudito opere elucubravit Joannes Karácsonyi in dissertatione sua inaugurali. Magno-Varadini. 1885.)

[2] Clementis VI. sunt 80 tomi bullarum et 66 tomi supplicationum; Bonifacii IX. 9 tomi bullarum. (Greg. Palmieri: Ad Vaticani Archivi Romanorum Pontificum Regesta Manuductio. Romæ 1884) Novissime supplicationum ad Bonifacium IX. directarum tomus unus detectus est inter manuscripta Bibliothecæ Reg. Aichstettensis. (Historisches Jahrbuch der Görresgesellschaft. 1887. VIII. tom. 487. et sequ. pag.)

[3] Aetate Honorii III., initio sæculi XIII. iam exstitit.

Bullæ pontificiæ per Datariam confectæ in separatos tomos redigebantur et in distincto Tabulario reponebantur. Brevia et supplicationes altera series Regestorum, alterumque Tabularium excepit.

Tabularium hoc eruditorum virorum perscrutationi adhuc minus patuit, ac ipsum Tabularium Vaticanum, ut appellant, secretum. Decursu præteritorum sæculorum paucis rerum gestarum scrutatoribus fores eius aperti sunt, hi quoque parca solummodo manu e fonte abundanti — haurire poterant. Inter veteres scriptores historiæ sacræ Regni Hungariæ, solummodo Josephus Koller, Episcopatus Quinqueecclesiensis historiographus optime meritus, occasionem nactus est Tabularium ingrediendi et quinque bullas Bonifacii IX. publici iuris faciendi.[1] Tabularium Datariæ tamen vicies plus bullarum, quod minimum est, Episcopatum Quinqueecclesiensem attinentium custodit; igitur concludere possumus, arctissimos eidem limites fuisse positos.

Feliciori successu gavisi sunt socii operi edendo, quod inscribitur, «Monumenta Vaticana Hungariæ» intenti, quibus Eminentissimus Dominus Cardinalis Sacconi, Præfectus Datariæ huius temporis, arcana Tabularii in palatio Lateranensi conservati lubens reclusit. Mox, benigno mandato Suæ Sanctitatis Leonis XIII. Papæ, tomi per operis redactorem delecti in Tabularium Vaticanum transvecti sunt, quo illis uti commodissime licuit.

Proh dolor! pars Tabularii initio sæculi currentis interiit.

Constat Napoleonem I. occupato principatu civili Sanctæ Sedis, anno 1810 mandatum edidisse de Tabulariis Apostolicæ Sedis Parisios Lutetiorum transvehendis. — Caterva curruum opus erat, ut tomos et fasciculos, in 3239 scriniis magnis positos, ad urbem Galliæ principalem deferret. At paucos annos illuc morati, Napoleone I. imperio privato, Romam remissi sunt.[2]

Sarcina tam magni pretii per viarum discrimina multas calamitates subiit. Plures curruum eversi sunt, scriniis in mare demersis, adhuc longe plures vi pluviarum destructi sunt.

Tabularium imprimis Datariæ plurima damna sustinuit. Quamvis numerum perditorum tomorum certo et accurate determinare haud valeamus, vix erramus conjiciendo, apparatus archivalis, qui ante transla-

---

[1] Tomo III. Historiæ Episcopatus Quinqueecclesiensis.

[2] Documenta magni pretii hoc respectu publici iuris fecit: Gachard: Les Archives du Vatican. Bruxellis. 1874.

tionem Parisios Lutetiorum 16,440 tomos efficiebat,[1] dimidio minus interitum superasse.

Interiit pars antiquissima: omnes tomi, numero 483, tempora Bonifacii IX. præcedentes. Ex ipsius Bonifacii IX. bullarum tomis numero 199 hodie solummodo 101 supersunt.[2]

In hos tomos apographa bullarum redigebantur, ante expeditionem illarum. Hinc est invenire quasdam bullarum, quæ transversa linea obductæ sunt, illa adjecta notula: ad mandatum Domini Papæ non expeditas vel modificatas fuisse. Textum uniuscuiusque bullæ annotationes, altera manu scriptæ, de confectione et taxa curiæ solvenda, sequumtur.

Bullæ in classes divisæ sunt. Sequentes classes occurrunt.

De præbendis vacantibus
De beneficiis vacantibus
De præbendis et dignitatibus
De beneficiis vacaturis
De provisionibus Prælatorum
De litteris dominorum Cardinalium
De regularibus
De exhibitis
De diversis formis.

Tomus nonnunquam integer pro una classe bullarum reservatus est; at passim idem tomus quatuor-quinque classes continet, foliis vacue relictis ab invicem, separatas.

Quilibet tomus ut plurimum numeris Romanis, eiusdem ævi manu scriptis, insignitur.

Charta satis firmaadhibita est. Foliorum altitudo 30, latitudo 24 centimetra habet. Ligatura est recentioris ævi. Tomi ut plurimum bene conservati sunt, pauci tantum discerpti.

Fine huius operis exigente, bullas Hungariam concernentes vulgamus, provincias nempe Strigoniensem et Colocensem archiepiscopales, quæ prout per se intelligitur, in se continent episcopatus Transilvanum, Zagra-

---

[1] Inventarium super receptione vulgavit Gachard pag. 21 et 133.

[2] Re quidem vera 102 tomi Bonifacii IX. nomine signantur, at unus eorum (Anni IV Liber 129) bullas Eugenii IX. continet, et ex errore tantum inter tomos regestorum Bonifacii IX. relatus est. E converso minime impossibile videtur, aliquando inter successorum suorum tomos Bonifacii IX. detectum iri.

biensem et Bosnensem. Dalmatiam tamen reliquasve provincias annexas omittimus.[1]

Bullas per extensum vulgare superfluum foret; nam argumenti partem undequaque maximam formulæ identidem revertentes efficiunt, quas semel nosse sufficiat, et in omni subsequenti principalia excerpere satius fuerit.[2]

Ut vero hæc editio omnes bullas exhiberet, præter regesta in Tabulario Datariæ recondita, proferenda duximus etiam bullas in tomis regestorum Tabularii Vaticani, porro in Tabulario Regnicolari Hungariæ et Primatiali repertas, necnon in editionibus Josephi Koller, Georgii Fejér et Augustini Theiner vulgatas. Harum tamen omnium numerus vix mentionem meretur, si de illis agitur, quas regesta Datariæ exhibent.

Tabulas ordine chronologico, iuxta seriem annorum regiminis Pontificis vulgamus. Dies, a quo anni numerantur, est illa coronationis, 9-a nempe Novembris.[3]

III.

Limites exercendæ potestatis Sedi Apostolicæ innatæ nunquam ulterius porrigebantur, ac sæculo XIV. Summi Pontifices in omnibus causis ecclesiasticis ipsi sibi vindicant partes definiendi et disponendi; immediate exercent iura, a decessoribus suis principibus, prælatis et collegiis ecclesiasticis concessa. Dispensationes diverssisimi generis ipsi impertiuntur, res controversas ipsi decidunt, beneficia ipsi conferunt.

Conatus Summorum Pontificum, ut collationem beneficiorum in manibus suis habeant, initium ducit a primis decenniis sæculi XIII. Hoc autem via reservationis obtinere optabant. Nonnullis in casibus, — verbi gratia, cum beneficium per translationem sive per mortem in Romana Curia subsecutam vacaret, collationem eius ad se pertinere decernebant;

---

[1] Non possumus tamen non meminisse bullarum maioris momenti regnumque universum concernentium, quas vulgamus, etiam si forte immediate ecclesias Dalmatiæ respiciant.

[2] Omissiones tria puncta (...) signant. Signum «etc.» ibi solum adhibetur, ubi hoc iam in textu originali occurrit, adeoque omissiones in originali factas monstrat.

[3] In hoc tomo eadem orthographia utimur, quam prolegomena unius præcedentium tomorum huius Diplomatarii (Series I. Tomus II.) per extensum illustrat.

***

Tabularum in hoc tomo contentarum descriptio per officiales tabularii Vaticani confecta est. Textum prelo paravit, mendis liberavit, indicemque adiecit Joannes Karácsonyi SS. Theologiæ Doctor, presbyter diœcesis Varadiensis lat. rit.

seu designabant quædam beneficia, quorum collationem, cum vacarent, dispositioni suæ inantea reservabant.[1]

Usus hic communis etiam in Hungaria, quæ cæteroquin antiquioribus etiam temporibus, iuris canonici universalis legibus paruit, locum obtinebat.

Sedes archiepiscopales et episcopales, prout in universali ecclesia ubique, ic etiam apud nos per Capitulorum electionem suos obtinuerant præsules.[2] Reges nihil plus postulabant, quam, ut assensum suum expeterent.[3]

Ab anno primo sæculi XIV. ducit initium reservatio sedium episcopalium Hungariæ, et quidem duplici modo: aut vita præsulis durante, quomodocunque vacatio subsequatur beneficii, Pontifices denominationem sibi vindicant successoris;[4] aut generaliter edicunt fore, ut provisio cuiuscunque archiepiscopatus et episcopatus, cuius præsul ad alteram ecclesiam transfertur, ad ipsos pertineat, iure electionis Capitulorum utroque in casu suspenso.[5]

Carolus Robertus huic rerum statui acquievit. Imo anno 1333 ipse rogavit Summum Pontificem, ut episcopatum Jauriensem dispositioni suæ reservet; optabat etenim, ut hanc sedem filius suus illegetimo thoro natus, Colomannus, adipisceretur. Nec successores eius contra hunc modum provisionis per Curiam Romanam constitutum aliquid fecere.

Capitula tamen non tam facile acquieverunt iacturæ iuris sui. Huius vigorem sustentare etiam tunc conamina adhibuerunt, quando reservatio pontificia obstiterat.

Casum memoria singulari dignum, hoc respectu, exhibet tomus præsens.

Joanne Zudar episcopo Varadiensi adhuc vivente (1385—1395) denominationem succcessoris eius Bonifacius IX. sui juris esse decrevit. Attamen Capitulum Varadiense, hoc decreto nihili habito, statim post

---

[1] Exempli gratia Honorius III. Papa (1216—1227) collationem duorum beneficiorum cuiuscunque ecclesiæ Cathedralis dispositioni suæ reservavit.

[2] De electionibus sæculo XIII. celebratis disserit Ferdinandus Knauz in elucubratione, cui titulus: »A pozsonyi prépostság.« (Strigonii, 1880) pag. 68. sequ.

[3] Bela IV. anno 1245 exponit Innocentio IV. quod »de antiqua, et approbata Regni consuetudine hactenus pacifice observata in electionibus Pontificum assensus Regius debeat postulari.« (Fejér. Cod. Dipl. T. IV. Vol. I. p. 364.)

[4] Hoc modo disponit verbi gratia Joannes XXII. Papa de episcopatibus Varadiensi, Jauriensi, Quinqueecclesiensi et Transilvano. Theiner. Monumenta Hung. Sacr. illustr. I. 502—3.

[5] Quod et fecit. Theiner I. 553.

exequias defuncti episcopi, ex suo gremio Paulum, archidiaconum de Kölesér, uno ore episcopum elegit.

Summus Pontifex, cum electus pro confirmatione supplicaret, electionem invalidam declaravit. Attamen, sicut in bulla super hac confecta ipse edicit, «ne ecclesia Varadiensis longæ vacationis exponeretur incommodis, multiplicium virtutum donis ipsius Pauli archidiaconi nec non Capituli eligentis concordi voluntate attenta meditatione pensatis», Paulum denominat et præficit episcopum Varadiensem.[1]

Bonifacius IX. occasione denominationis Pauli episcopi, nihil cunctatus, iterum reservavit sibi episcopatus Varadiensis provisionem, quam paucos post menses, Paulo episcopo decedente, revera effectui dare valuit.[2]

Reservationes pontificiæ quemadmodum ius Capitulorum præsulem eligendi, sic etiam ius ordinum religiosorum abbatem vel præpositum eligendi utplurimum suspenderunt. Attamen — tabulis hoc in tomo vulgatis testantibus — Summus Pontifex semper, attenta meditatione pensavit, utrum denominatus ordinem illum expresse professus sit, cuius cura et administratio ipsi incumbebat, imo maxime illum monasterio præfecit, pro quo religiosi monasterii per eorum litteras supplicarunt.

Provisionem præpositurarum sæcularium, quæ iuri patronatus regio obnoxiæ erant, reservationes æque afficiebant. Casus non mediocris momenti hujus generis occurrit.

Præpositurae ecclesiarum collegiatarum Albaregalensis, Scepusiensis et Tituliensis, Vesprimiensis, Strigoniensis ac Colocensis diœceseum, «ad præsentationem Regis Hungariæ, qui est pro tempore, tam ex privilegio Sedis Apostolicæ speciali, quam etiam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine» conferebantur. Rex non exspectans, num una harum re ipsa vacet, Jacobum de Scepus, canonicum Transilvanum, Summo Pontifici commendavit; hic vero donationi apostolicæ reservavit collationem præpositurarum in futuro vacantium, quam Jacobus de Scepus duxerit acceptandam.[3]

[1] Bulla super hoc anno 1396, 24-a Januarii confecta non mediocre quid confert ad opus eximium Vincentii Bunyitay, cui titulus: A váradi püspökség története. Cum ille ante determinare haud valuerit, quonam modo episcopatus vacatio evenerit, bulla hæc certiores nos reddit, morte Joannis Zudar hoc contigisse. Porro antea persona ipsius Pauli episcopi tam atra caligine obvoluta erat, ut Vincentio Bunyitay coniecturam etiam proferre licuerit, an non eadem sit cum persona Pauli antea episcopi Zagrabiensis, per Sigismundum episcopatu spoliati? Recentissime demonstratin doctus, historiographus archiepiscopatus Colocensis Paulum episcopum Varadiensem et Paulum de Farkasfalva episcopum Tinniniensem eandem esse personam. (Schematismus Colocensis pro anno 1888 pag. 22.).

[2] Bulla denominationis a. 1397, 22-a Martii confecta in subsequenti tomo vulgabitur.

[3] Anno 1390. 8-a Junii.

IV.

Plurimum negotii Datariæ facessit collatio beneficiorum capitularium.

Hanc ordinarie per supplicationes assequi contendebant, quas vel ipsi supplicantes vel ipsorum præcellentis dignitatis fautores ecclesiastici vel sæculares ad Summum Pontificem direxerunt.

Huius supplicationis epitome in curia confectum deliberationi Papæ submittebatur, qui, si petitioni annuendum statuit, voce «Fiat» ac monogrammate proprii nominis subsignavit.

Tunc bulla collationis confecta est.

Collationum papalium diversæ formæ existebant.

Sæpissime occurrit casus, cum per Summum Pontificem determinatum quoddam beneficium capitulare, per promotionem, abdicationem, ingressum in ordinem religiosum, amotionem, vel mortem prioris possessoris sui vacans conferatur (canonicatum cum præbenda). Hoc in casu prioris beneficiati nomen et etiam circumstantiæ vacationem efficientes commemorantur.

Sæpe evenit quendam virum ecclesiasticum per Papam in canonicum cuiusdam designati Capituli denominari, quin præbendam seu beneficium eidem conferret. (Canonicatum sub exspectatione præbendæ); at decernit ipsum ius habere, unum beneficiorum tempore denominationis vacantium vel inposterum vacaturorum, infra certi temporis spatium, acceptandi; quæ quidem facultas acceptandi nonnunquam ad beneficia cuiuscunque generis extenta, utplurimum tamen dignitatibus Capitulorum maioribus exclusis, data est.

Ad dignitates, personatus et officia Capitulorum Pontifex plerumque, via promotionis, eiusdem Capituli canonicos denominavit, etiam tunc, quum ad hæc iuxta veterem usum per electionem quis assumi consueverit. At non raro contigit etiam membra aliorum Capitulorum ad illa translata, vel viros ecclesiasticos, quamvis nondum canonici essent, immediate ad dignitates evectos fuisse.

Episcopi Hungariæ sæpius quidem ipsimet adibant Papam litteris commendatitiis, cum in votis habebant,[1] ut quidam clerici, favoribus eorum gaudentes, beneficia assequerentur; at non semel beneficium Capituli

[1] In tomo præsenti maxime commendationes Valentini de Alsán Cardinalis et Episcopi Quinqueecclesiensis occurrunt.

sui vacans conferebant, antequam ei, qui vigore litterarum apostolicarum ius acceptandi habuit, innotuisset; quinimo non defuit casus, quo vigore litterarum apostolicarum beneficio provisum, licet illud iam tenuisset ac possedisset, spoliarunt, et loco illius alium denominarunt.

Maria Regina, Sigismundusque Rex contra provisiones beneficiorum capitularium, per Summum Pontificem factas, non modo nihil exceptionis habuere, quinimo, quandocunque sacerdotum, suis in servitiis constitutorum, aliorumque fidelium obsequia remunerari beneficiis ecclesiasticis cupierant, supplicantes coram Pontifice comparuere.[1]

Maxime ideo miranda agendi ratio Sigismundi regis, in primordiis regiminis a. 1394 inaugurata. Posonii commorans certior redditus est alienigenas in Capitulo Posoniensi beneficia occupare, ex quo difficultates et scandala orta erant. Protestatur: se esse verum patronum ecclesiæ Posoniensis, adeoque collationem beneficiorum ad ipsius dispositionem pertinere. Proinde sub pœna amissionis beneficii præcipit Capitulo Posoniensis ecclesiæ, ut tales alienigenas sine sua licentia et annuentia speciali et expressa minime recipiant, etiamsi litteras apostolicas vel legatorum eius habuerint.[2]

Haud multo post Nicolaus, filius Hartmanni, presbyter Vindobonensis, qui adhuc ante 21. Januarii a. 1391. litteras apostolicas impetravit, pro assequendis canonicatu Posoniensi atque parochia de Aichaich, Pataviensis diœcesis, 21-a Januarii autem eiusdem anni in canonicum Frisingensis, Agriensisque ecclesiarum et archidiaconatum Ujváriensem denominatus est:[3] Posonii comparuit, litterasque apostolicas collationales ostendens, quendam canonicatum vacantem sibi postulavit. Capitulum postulatum reiecit. Tunc Nicolaus presbyter — limites potestatis suæ transgrediens, ultrici ira raptus — ecclesiam capitularem interdicto ecclesiastico subiecit. Capitulum vero querela sua regis aures pulsavit. Hic voluit, ut mandatum suum primum in vigore suo persisteret. «Cum — inquit — nos neminem bullatum, specialiter alinigenam, beneficia ecclesiastica in tenutis regni obtinere

---

[1] Ad commendationem utriusque Joannes, canonicus Transilvanus, præposituram; ad commendationem Mariæ Andreas de Parlag, Capellanus suus, canonicatum Varadiensem, Paulus de Tarkő præposituram Dömösiensem; ad commendationem Sigismundi Joannes Usk, notarius regalis, Transilvanum, Andreas de Pél Nitriensem, Ladislaus, clericus Varadiensis diœcesis, Varadiensem canonicatus, Paulus de Zala, canonicus Scepusiensis, custodiam Colocensem, Ladislaus, canonicus Vetero-Budensis, præposituram ecclesiæ Omnium Sanctorum Vesprimii assequuntur.

[2] Mandatum regale a 1394. 25-a Martii editum in Tabulario Capituli Posoniensis. Publici iuris fecit Knauz in ephemeridibus: Magyar Sion. 1863. pagina 411.

[3] Vide bullam huius tomi Nro. CLVIII.

velimus, — mandamus a modo et deinceps neminem bullatum acceptare præsumatis, ecclesiasticumque interdictum nullomodo observare velitis.»[1]

Hæc prima et manifesta actio contra collationes papales effectu caruit, etenim neque ipse rex conatum adhibuit, ut illam efficacem reddat. Collationes pontificiæ etiam postea exercebantur. At serius, — prout in subsequenti tomo videbimus — articulis Comitiorum eis obviam itum est.

Multo plus difficultatis litteras apostolicas impetrantibus, ac reges et præsules, inferebant usurpatores seu intrusi, qui beneficia pro suo libitu, vel etiam violenter occuparunt, quæ sibi postulassent.

In hoc casu litteris apostolicis provisi apud tribunal pontificium litem movebant. Summus Pontifex uni auditorum causarum Palatii Apostolici commisit causam investigandam, et exitu debito terminandam.

Litis discussio passim diutius protracta est. Lite adhuc pendente sæpe actor vita functus est, vel iuri suo cessit; pluries in causam vocatus decessit, vel sua sponte se subtraxit, locumque suum alius intrusus arripuit.

Ad executionem sententiæ iudicialis et ad inaugurationem legitimi possessoris beneficii, delegati pontificii missi sunt. Hi autem facultate provisi erant, præter inflictionem censurarum ecclesiasticarum, etiam auxilium brachii sæcularis, necessitate ita exigente, invocandi.

V.

Provisiones beneficiorum parochialium, magistratuum rectoratuumque capellarum et altarium æque exercebantur per Summum Pontificem.[2] Duplici autem modo fiebant. Aut certum quoddam beneficium de facto iam vacans obtinuit provisus, aut facultate donatus est, ut unum beneficiorum ad collationem episcopi vel Capituli seu collegii ecclesiastici alicuius pertinentium, vacaturum, acceptaret. Stricte distinguebatur inter beneficia, quibus cura animarum incumbit et iurisdictio ecclesiastica annexa est, atque inter illa, quæ hisce haud aggravata erant (beneficium cum cura et sine cura). Præterea determinatum est, beneficiorum, acceptationi submissorum, quantus fructus esse possit; beneficiorum cum cura

[1] Mandatum a 1394. 19. Maii editum V. Magyar Sion. 1863. 411 sequ. pp.

[2] Et quidem illorum, quæ iuri patronatus ecclesiastico obnoxia erant. Hucusque non invenies casum quo Pontifex beneficium iuri patronatus regio seu sæculari obnoxium conferret.

proventus ad summum 25 marcas argenti (100 florenos), illorum sine cura 18 marcas (72 florenos), secundum taxationem decimæ papalis, excedere non potuit.

Conditio assequendorum beneficiorum tam capitularium, quam reliquorum erat, ut beneficio provisus prius se examini subiiciat, sicque comprobet se omnibus canonum requisitis pollere; si vero quibusdam requisitis minus necessariis illum egere compertum est, ad illa comparanda, intra determinatum temporis spatium iureiurando, sese obliget. Effectus examinis decidebat, cuiusnam categoriæ beneficium acceptare potuerit. Requisitis ad dignitatem capitularem non exhibitis, canonicatum simplicem tantum assequi poterat; ad beneficium cum cura haud idoneo, beneficium solummodo simplex (sine cura) acceptare licuit.

Post examen atque acceptationem beneficii competentis subsecuta est statutio atque inductio.

Ad exantlandum examen atque statutionem Pontifex singulis vicibus delegatos nominavit, plerumque tres, rarius duos vel unum. Hi multi generis officia habebant, quæ litteræ pontificiæ ad ipsos directæ accurate determinarunt.

Ante omnia explorandum fuit, an beneficium per Pontificem collatum, a novo possessore acceptatum, de iure et de facto vacaverit? Si ita, sit ne aliquis ad id legitimo potior iure, nec ne? Si quando Pontifex beneficium vacaturum contulisset, delegati proprium præsulem atque capitulum certiores reddiderunt, addita cautione, ut a collatione beneficii vacaturi abstineant.

Post examen atque statutionem, delegatorum erat reprimere statutioni resistentes et nefors intrusos relegare.

Satis erat, si unus delegatorum causam demandatam ad finem perduxerit. Ob censum, pro hujusmodi negotiis, solvendum, munus delegatorum magno pretio habitum erat. Papa maximam partem delegatorum e numero prælatorum ac dignitariorum Hungariæ delegit, at multoties occurrunt alienigenæ quoque, qui prout suapte intelligitur, sociis suis in Hungaria constitutis negotii expeditionem commiserunt.

Collatio beneficiorum nondum vacantium effecit, ut omnino incertum redderetur, quando et quale beneficium supplicantes assequantur. Hinc in id intenderunt nervos, ut, quæ maxima esset facultas beneficia acceptandi eis tribueretur, et una simul vel successive plures litteras collationales impetrare studuere.

Sic verbi gratia magister Stephanus de Upor, Cantor ecclesiæ Vara-

diensis, brevi temporis intervallo, litteras collationes acquisivit: ad canonicatus et dignitates ecclesiarum Strigoniensis, Agriensis, Albaregalensis, Vesprimiensis ac Scepusiensis, mox ad præposituram ecclesiæ Omnium Sanctorum Vesprimiensis, tandem ad præposituram Tituliensem. (Regesta CCXXXI. CCXXXIII.)

Attamen cum plures hujusmodi litteræ collationis exararentur, posterioribus semper adiecta est clausula, si quando beneficio provisus, vigore litterarum istarum, beneficium quoddam de facto obtinuerit, priores litteras collationales invalidas esse.

Hac tamen ratione cumulatio beneficiorum non omnino excludebatur. In tomo præsenti frequentes deprehenduntur casus, in quibus viri ecclesiastici tria, quatuor, imo plura adhuc beneficia diversarum diœcesium, hinc ide diversorum quoque regnorum, obtinent.

Sane incommoda quæ ex usu hoc, currente ævo, ut aiunt, medio, communiter vigente, ecclesiæque negotiis tantopere nocivo, progerminarunt, regula unica, salubris tamen, restrinxerat, vi cuius tunc tantum plura beneficia possidere licuit, quum dispensatio ab obligatione residentiæ sine rerum maioris momenti injuria et damno fidelium dari pouerit, aut vero substituto vicario idoneo beneficii res in tuto posita fuerit.

Sedes Apostolica caute invigilabat regulæ huic observandæ; et cum vir ecclesiasticus officiis duorum beneficiorum impar fuerit, uni valedicere debuit, quamprimum alterum obtinuit. Permultos ejusmodi casus offendimus in tomo hoc. Specialis gratiæ et exceptionis instar nominant bullæ collationales casum, quo possessio plurium beneficiorum conceditur.

Inter hos casus specialem attentionem meretur ille, cum Summus Pontifex Lucam, Præpositum Vetero-Budensem ac Cancellarium Universitatis (studium vocabatur) Budensis, ad episcopatum Csanádiensem evehens, eidem indulget, ut præposituram retinere atque simul munus Cancellarii in posterum quoque gerere valeat; prout et ille, cum Paulum Abbatem de Somogyvár, ad episcopatum Jaroslaviensem evehens, propter tenues redditus episcopales eidem concedit, ut abbatiam retinere possit. (Regesta CCCXXIII et CCCXXXVIII.)

Alio etiam respectu vigili et circumspecta cura dirigit Summus Pontifex collationes beneficiorum.

Occasione provisionis abbatiarum ac præpositurarum ordinum religiosorum rescindit usum: conventibus monachorum gubernatores, ex ordine presbyterorum sæcularium delectos, præficiendi. Tribus quidem vicibus ipse quoque presbyterum sæcularem nominat abbatem sive

præpositum; at duabus vicibus conditionem interponit, ut familiæ ordinis nomen dare votaque emittere debeat, terna vice Cardinalis est, in cuius gratiam exceptione utitur. (Reg. CXI.)

Jure canonico atque consuetudine concessum erat, beneficia sine cura clericis ætate mondum adulta conferre. At Bonifacius IX. rarissime hoc iure utebatur. Tomus præsens unum solummodo casum exhibet; iuvenis nimirum nobilis cuiusdam familiæ soboles, anno duodecimo ætatis constitutus, iamque clericus Quinqueecclesiensis diœcesis, canonicatum Zagrabiensem assequitur. Tres illos studio litterarum in Universitate operam navantes clericos, quibus beneficia donantur, provectiorem iam ætatem attigisse, citra dubium est.

Maioris adhuc momenti est factum, Summum Pontificem resensu, quem apud Hungaros gratia in viros extraneæ gentis facillime excitaret, præ oculis habita, rarius, quam expectare posses, alienigenis beneficia in Hungaria contulisse. E litteris collationalibus numerum ducentesimum superantibus, tantum 13 in favorem externorum confectæ sunt. Hos inter quinque sunt membra Collegii purpurati[1] duo curiæ Romanæ officiales eminentiores, unus denique ex cancellaria regis Sigismundi.

Bonifacius IX. debitum habuit respectum ad commendationem quoquo regis et reginæ, prout et episcoporum Hungariæ, quam in litteris collationalibus exprimere nunquam omisit.

Nihilominus uni alterique Episcoporum modo extraordinario facultatem concessit in capitulo suo de beneficiis certo numero vacantibus suo velut jure disponendi.

De cetero cogitatio: Summum Pontificem esse unicum fontem iuris collationis beneficiorum, tantopere mentes hominum pervaserat, ut illi, qui per collationem episcopalem beneficia obtinuerunt, sæpe firmitati iuris sui diffidebant, atque Pontificem adiverunt pro confirmatione seu nova donatione sui beneficii. Petitioni ipsorum libenter annuebat. Tomus hic magno numero eiusmodi novam collationem continet.

Litteræ collationales pontificiæ uberem fontem historiæ ecclesiasticæ constituunt.

Primo etenim multum conferunt ad seriem Prælatorum[2] et Canonicorum, necnon genealogiam complurium præcelsæ dignitatis familiarum.[3]

[1] Bartholomæus Cardinalis Strigonii Præposituram s. Georgii, — quam elocavit pro 200 florenis, — et canonicatum possedit; Varadini vero archidiaconatum Bihariensem cum canonicatu obtinuit.

[2] In indice huius tomi loco correspondenti videre licet nomina beneficio provisorum.

[3] Semper commemoratur nomen patris et specialiter exponitur, si quis genere baronum vel nobilium originem trahit.

Merita beneficio provisi, quæ Pontificem ad gratiam liberalem hanc conferendam moveant, more usitato verbis styli curialis stereotypis exponuntur; attamen hinc inde occurrunt quædam, quæ attentionem merentur. Si beneficio provisus gradu academico gloriatur,[1] si in Universitate studiis vacat,[2] in curia regia,[3] vel pontificia[4] servitiis insistit, Pontifex horum velut meritorum specialem mentionem facit.

Litteræ collationales narrant etiam, quomodo beneficium vacans redditum sit. Fere semper morte interveniente id evenit; at non raro funestiori etiam casu.

Aevo illo, inter continuos strepitus armorum bellorumque intestinorum, in numero etiam virorum ecclesiasticorum reperibeantur, qui ira flammescente, vel ultrici cupiditate acti, arma rapuerunt et sanguine inimici odium placaverunt. Tomus hic quinque eius modi viros ecclesiasticos nominat.

Petrus magister, domorum Budensis et Strigoniensis ordinis Sepulchri Dominici Jerosolymitani, Damianum de Sancto Rege laicum; Andreas Garázda, præpositus de Hanta, priorem prioratus ordinis s. Augustini de Nádasd, una cum duobus laicis; Michael, archidiaconus de Temes, duos laicos, interfecerunt. Joannes Crispus, canonicus Zagrabiensis, atque Thomas, Custos Csázmensis, æque criminis homicidii accusati sunt.

Nicolaus parochus de Bicse, conspirans cum castellano atque iudicibus, Nicolaum, presbyterum Nitriensis diœcesis, violenter cepit ac per longius tempus, in æde sua parochiali, compeditum captivum deti-

---

[1] Joannes, filius Jacobi de Scepus, canonicus Transilvanus, decretorum doctor fuit. Quatuor magistri in artibus laudantur: Henricus de Oyta, Stephanus de Upor uterque canonicus Varadini, Nicolaus Agriensis et Nicolaus Bosnensis canonici. Baccalaurei æque quatuor: Michael, filius Pauli Bani, Custos Bosnensis, Stephanus Agriensis, Nicolaus Vaciensis, Joannes de Strigonio Trasilvanus canonici.

[2] Hos deprehendimus: Nicolaus, filius Jacobi canonicus Agriensis, et Aegidius, filius Martini de Szekeres, clericus Transilvanæ diœcesis, qui Viennæ studiis vacabant; Nicolaus, filius Hartmanni, ius canonicum discit.

[3] Joannes Usk, presbyter diœcesis Pragensis, notarius regalis, Transilvanum, Andreas de Parlag, cappellanus reginæ, Varadiensem canonicatus obtinent. Gallus Georgii, canonicus Quinqueecclesiensis, in servitiis Sigismundi regis constitutus a residentia dispensatur.

[4] Horum nomina offendimus: Jacobus, canonicus Bosnensis, magister Rogerius, Præpositus de Pozsega, Referendarii pontificii; Gregorius de Varas, clericus Zagrabiensis, diœcesis, familiaris pontificius; Nicolaus Helman, clericus Transilvanæ diœcesis, servitor palatii apostolici; Joannes, clericus æque Transilvanæ diœcesis, familiaris Episcopi et Cardinalis Ostiensis. Qua subcollectores proventuum cameræ apostolicæ commemorantur: in diœcesi Colocensi Joannes Szemere, Lector Colocensis; in diœcesi Agriensi Joannes beneficiatus Agriensis; in diœcesi Quinqueecclesiensi Henricus de Jecoza, archidiaconus de Valkó, in diœcesi Zagrabiensis Fabianus canonicus Csázmensis, in diœcesi Vesprimiensi Petrus de Somogyvár, Custos Albaregalensis, et Joannes Sartoris canonicus Vesprimiensis.

nebat. Jacobus, Præpositus Csanádiensis, quendam parochum carceribus mancipavit, atque ad mortem usque afflixit; Michael, canonicus Transilvanus, falsificationis instrumentorum publicorum; Joannes Ujvárasi, canonicus æque Transilvanus, raptus mulieris, Nicolaus de Sancto Ambrosio publicæ violentiæ, Nicolaus Puck, parochus de Dombró, blasphemiæ accusati sunt.

Andreas Tonch, canonicus Strigoniensis, ideo indignationem Sedis Apostolicæ excommunicationemque experiebatur, quia constanter adhæserat factioni Caroli Parvi Neapolitani, neque hunc excommunicatione Summi Pontificis perculsum deseruit. Nicolaus, Abbas de Szekszárd, cum partem sumptuum Nuntii, ab Urbano VI. P. in Hungariam missi, sibi impositam, solvere renuisset, excommunicatione mulctatus est, sed hanc nihili pendens, a divinis officiis, illa profanando, non cessavit.

Adversus hos omnes inquisitio et cætera a lege præscripta peracta sunt, et criminum, quorum rei dicebantur, veritate probata, beneficiis privati sunt.

E contra non defuere plurima exempla virtutum christianarum: viri ecclesiastici, qui studio maioris perfectionis ducti, beneficiis præstantibus valedicebant, ut motibus sæculi erepti, in silentio claustri vitam exercitiis pietatis devoverent.

Gallus Nigri, custos Colocensis, Blasius custos Colocensis, Nicolaus Ferkel, canonicus de Pozsega, Martinus, præpositus ecclesiæ s. Nicolai Albaregalensis, Matthias canonicus Nitriensis, Gallus, rector hospitalis Quinqueecclesiensis, ordinem s. Pauli I. Eremitæ; Nicolaus, canonicus Colocensis, ordinem s. Augustini; Nicolaus Konyæ de Bellus ordinem Carthusianorum ingressi sunt.[1]

VI.

In plurimis litterarum collationalium commemoratur etiam fructus beneficii collati, et quod designetur quædam summa, cuius valorem annuus redditus «secundum communem extimationem (id est: secundum taxationem decimæ) non excedit.» Suapte intelligitur per summas

[1] His non adiungo Franciscum, clericum Vesprimiensis diœcesis, qui ordinem s. Benedicti ingressus iam pro Abbate de Kapornak designatus est, nec Thomam, canonicum Albaregalensem, qui in magistrum domus ordinis Sepulchri Dominici Jerosolymitani præficitur.

hasce nonnisi obiter determinari redditum, easque notis exactæ certitudinis carere, nihilominus tamen aliquam notitiam valoris beneficiorum nobis suppeditant.

Speciali mentione dignæ sunt indulgentiæ ecclesiis, capellisque concessæ; has enim tunc petere prælati atque patroni consveverunt, quando ecclesiæ ac capellæ ædificabantur, vel in alteram formam fingebantur; hacque ratione auxilium promptitudinemque fidelium invocare cupiebant.

Adeoque bullæ pontificiæ de more, velut conditionem acquirendarum indulgentiarum ponunt, ut fideles ad fabricam seu conservationem ædificii manus porrigant adiutrices.

In tomo hoc sequentes ecclesiæ, capellæ, vel altaria indulgentiis ditatæ deprehenduntur.

In diœcesi Strigoniensi: Ecclesiæ de Alap, de Igló (Nova Villa), de Káposztafalva (villa Compositi), Leibicz, de Szepes-Olaszi (Villa Latina), de villa Bringonis, de villa Russlini; capellæ: ecclesiæ parochialis de Lőcse, atque de villa Stoiani, altare ss. Petri et Pauli in Lőcse.

In diœcesi Colocensi: ecclesiæ parochialis de Halas.

In diœcesi Vesprimiensi: altaria ecclesiæ s. Mariæ Budensis, atque ecclesiæ s. Mariæ Magdalenæ Budensis; capella Omnium Sanctorum Albaregalensis; ecclesia parochialis de Babócsa.

In diœcesi Vaciensi: ecclesia parochialis de Gyada.

In diœcesi Jauriensi: ecclesiæ parochiales de Fraknó (Forchtenau) atque de Nagymarton (Martinsdorf).

In diœcesi Varadiensi: altare ecclesiæ cathedralis, et ecclesia parochialis de Püspöki.

In diœcesi Csanádiensi: ecclesiæ parochiales de Miklós-Györk et Rékás.

In diœcesi Transsilvana: ecclesiæ parochiales de Somogyom et Valthida. Capella s. Dorotheæ in Jászó; ecclesiæ claustri de Örményes ac monasterii de Zseliz-Szentlászló.

In bullis pontificiis enumerantur festa, in quibus indulgentias lucrari poterannt. Modo etiam omnem ambiguitatem excludenti declaratur quæ sint indulgentiæ concessæ; Summus Pontifex nimirum «vere pœnitentibus» devotis certi numeri annos de iniunctis hic et in altera vita pœnis relaxat.

Bullæ in hoc tomo contentæ sæpius de aliis quoque gratiis Ponticis nos certiores reddunt.

Tempore hoc cœpit consuetudo invalescere titulum Capellanorum pontificiorum viris ecclesiasticis tam sæcularibus, quam religiosis, scientia præcellentibus, conferendi.

Primis septem annis regiminis Bonifacii IX. sequentes viri ecclesiastici ex Hungaria hoc honore insigniti sunt: Magister Eberhardus, Præpositus Cibiniensis, magister Georgius, archidiaconus Bácsiensis, Laurentius de Terebes, canonicus Varadiensis, magister Nicolaus, canonicus Jauriensis, Thomas scholasticus Albaregalensis, magister Joannes ac Benedictus canonici Zagrabienses, Stephanus de Korpona, rector capellæ, Joannes præpositus de Jászó, Dominicus præpositus de Lelesz, magister Gregorius, canonicus Bosnensis, Paulus, præpositus de Dienesmonostora, Thomas, ordinis Præmonstratensis, Andreas, ordinis s. Augustini, Nicolaus, ordinis s. Francisci, religiosi.

Ad altiorem dignitatem evecti sunt: Benedictus de Quinqueecclesiis, qui episcopatum Sydoniensem (in partibus infidelium) et Paulus, Abbas de Somogyvár, qui episcopatum Jaroslavensem assecuti sunt.

Ad categoriam gratiarum referuntur: facultates ecclesiasticis ad condenda testamenta, ecclesiasticis ac laicis ad confessorem sibi eligendum, mulieribus præcellentis prosapiæ ad invisenda claustra virginum datæ; collatio privilegii immunitatis a decimis ac tributis monasteriis monialium ordinis s. Dominici donata; dispensationes ab obligatione residentiæ, quarum ecclesiastici in regalibus vel pontificiis servitiis constituti, prout et studio vacantes, participes fiebant; dispensationes ab impedimentis matrimonii et a votis. Inter posteriores præcipue memoria digna est illa Nicolai de Kanizsa, fratris Joannis archiepiscopi. Hic demortua prima uxore, votum nuncupavit ulterius non contrahendi matrimonium. Bona sua in pias fundationes ecclesiasticas convertit. Inter cætera ipse fundavit claustrum ordinis s. Pauli I. Eremitæ de Örményes. Animadvertens serius stirpem suam sensim defecisse, ad hanc sustentandam secundas nuptias inire optavit. Pontifex prompto animo illi votum relaxavit. Et re quidem vera eius filii sustentarunt, per integrum dimidiumve sæculum, familiam hanc magni nominis.[1]

Joannem de Kanizsa archiepiscopum autem non una vice honoribus magnis attollit. Primum qutdem, quamdiu sedi Strigoniensi eum præsidere contingerit, in diœcesi archiepiscopali Strigoniensi, illi potestatem et iura Primatis et Apostolicæ Sedis Legati nati donavit; mox hanc potestatem

[1] Nagy Iván. Magyarország családai. VI. 65.

ac iura quoad personam eius, etiam ad diœcesim archiepiscopalem Colocensem (ergo ad totam Hungariam) extendit; eodemque tempore in provincia Strigoniensi etiam successores suos Primates et Sedis Apostolicæ Legatos natos constituit. Hisce autem «specialem affectionem ad regnum Hungariæ», dilectionem erga Sigismundum Regem, laudes denique virtutum Primatis, manifestas esse voluit.

Sæpe adibant Pontificem pro confirmatione veterum privilegiorum iuriumque possessionariorum,[1] pro defensione bonorum ecclesiasticorum[2] contra violentos usurpatores, et pro approbatione fundationum piarum.

In harum serie præprimis memorandæ sunt: fundatio Capituli ecclesiæ collegiatæ s. Stephani Protomartyris Strigoniensis, per Joannem de Kanizsa archiepiscopum (Reg. CCXCI) et fundatio monasterii monialium per Sigismundum et Mariam (Reg. CXLII) Sebenici facta.

In regem Hungariæ Pontifex, omni data occasione, benevolentiam suam ostendit. Cum Sigismundus contra Turcas, provinciis meridionalibus regni sui incursiones minitantes, exercitum duxit, ad ipsius supplicationem Bonifacius IX. milites contra hostes pugnantes illarum indulgentiarum participes fieri decrevit, quas Sedes Apostolica in subsidium Terræ Sanctæ proficiscentibus concedere consueverat; porro illos solvit a ieiuniis et durante bello ab onere jus adeundi, quicunque demum illos tracturus sit ad iudicium (Reg. CCIII—CCV.)[3]

Mox, cum Bulgariæ regno in potestatem Turcarum redacto (1393—4), maius adhuc periculum Hungariæ immineret, Bonifacius IX. indictionem belli cruciati decrevit; hunc in finem anno 1394 Joannem de Eugubio, ferventissimi animi monachum ordinis s. Dominici, in provincias Alberto, duci Austriæ subiectas, prout et in terras reipublicæ Venetorum, Legatum Sedis Apostolicæ misit, ut bellatores conduceret, stipendia corrogaret; thesaurum gratiarum ecclesiæ aperiens omnibus his, qui Hungariæ salvandæ operam navare prompti existerent. (CCCXCIX—CCCII.)

---

[1] Sic confirmat Pontifex privilegia monasterii de Monte (Borsmonostora seu de Kéthely), ordinis Charthusianorum, monasterii monialium de valle Vesprimiensi; donationes Belæ Regis IV. præposituræ de Jászó factas.

[2] Archiepiscopo Strigoniensi, Episcopo Jauriensi defensores constituit.

[3] Pontifex tempore verno anni 1391. Petrum de Wserob archidiaconum in ecclesia Pragensi qua Nuntium apostolicum misit in Hungariam atque Bohemiam (Reg. CLXXV). Quali commissione? ignoratur. Aestate autem anni 1394 Archiepiscopum Neopactensem misit ad provincias Dalmatiæ, Croatiæ, Slavoniæ atque Bosniæ, ut ad repellendum Antipapam Siciliæ regno invasionem minitantem milites conduceret, subsidiumque acquireret. (Reg. CCLXXXI.)

BEVEZETÉS.

IX. BONIFÁCZ PÁPA ÉS MAGYARORSZÁG.

1389—1396.

FRAKNÓI VILMOSTÓL.

I.

Az ezen kötetben közzétett okiratok a nyugati, nagy egyházi szakadás korából származnak, mely a szent-szék történetének egyik leggyászosabb időszakát képezi; de egyszersmind a pápaságnak a fensőbb támogatásból és világtörténelmi hívatásából merített életereje hatalmát legszembetűnőbben igazolja.

VI. Orbán pápa, 1378-ban szent Péter székére lépve, készséggel teljesíté a keresztény népek hő óhajtását, és Avignonból Rómába tette át a pápaság székhelyét. Mindazáltal ekkor, a franczia befolyás alatt álló bíbornokok elpártoltak tőle, választását érvénytelennek nyilvánították és Róbert bíbornokot VII. Kelemen névvel pápának választották. Ez, Francziaország és Nápoly királyai által támogatva, mindent megtett, hogy a többi keresztény uralkodókat, első sorban a leghatalmasabbat: Magyarország királyát is megnyerje.

A magyar trónt nagy Lajos foglalta el ez időben. De ő, bár szoros rokoni kötelékek kapcsolták az ellenpápa pártfogóihoz, állhatatos hűséggel ragaszkodott az egyház törvényes fejéhez; a császárral karöltve azon volt, hogy VII. Kelement lemondásra bírja, miután pedig igyekezetei sikertelenek maradtak, ismételten hadakat küldött VI. Orbán segítségére, sőt már személyesen készült sereget vezetni Olaszországba, mikor szándéka végrehajtását súlyos betegsége és halála (1382. szeptember 14.) megakadályozta.

Utódai Mária és Zsigmond, kiknek gyenge uralma alatt az ország hatalma tetemesen alászállott, bár nem voltak képesek nagy Lajos pél-

dáját követni, az általa kijelölt egyház-politikai irányhoz hívek maradtak, ragaszkodásukban VI. Orbán pápához egy pillanatra sem engedték magokat megingattatni.

És az egész magyar nemzet uralkodóival tartott. Csak kivételesen találkozott egy-két egyházi férfiú, ki VII. Kelemen pártjához csatlakozott.[1]

VI. Orbán pápa halála után, a Rómában levő bíbornokok, 1389. november 2-kán egyhangúlag Tomacelli bíbornokot választották meg, ki IX. Bonifácz nevét vette föl, és november 9-kén koronáztatott meg.

Zsigmond és Mária siettek hódolatukat bejelenteni az új pápának, ki gyakran elismeréssel nyilatkozott «a hódolat magas fokú hevéről, melyet ő irányában Magyarország királya és összes lakosai tanúsítanak». (CCLXXX.)

II.

IX. Bonifácz uralkodásának történetét ekkorig alig lett volna lehetséges kellő alapossággal és részletességgel megírni.

Irományaiból a vatikáni titkos levéltár feltűnően keveset tartott fönn. Míg egyik elődje, VI. Kelemen pápa 11 évre terjedő kormányzásából a fenmaradt irományok 144 kötetet töltenek be; IX. Bonifácz 17 évi uralkodása idejéből csak 9 kötetet találunk.[2]

Szerencsére sokkal gazdagabb forrást nyithat meg a szentszék egy másik levéltára: a Datariáé.

A *Dataria* a római curiánál ősrégi időktől fogva fönnálló hatóság,[3] a pápának a kegyelmi ügyekben és egyházi kormányzásban egyik legfontosabb közege. Hatásköréhez tartozott — és részben ma is tartozik —: a szent-szék részére föntartott egyházi javadalmak betöltése; a pápai kitüntetések adományozása; az egyházi javadalmak és kegyúri jogok körül való intézkedések; az egyházi irregularitás eseteiben, valamint fogadalmaktól, esküttől, különféle házassági akadályoktól a fölmentések engedélyezése stb.

[1] Ilyen volt Ulászló pannonhalmi apát és néhány prémontrei prépost. (Magyarország állását a nyugati, nagy, egyházi szakadással szemben, értékes dolgozatban tárgyalja Karácsonyi János hittudori felavató értekezése. Nagyvárad, 1885.)

[2] VI. Kelementől 80 kötet bulla és 66 kötet supplicatio, IX. Bonifácztól 9 kötet bulla van. (Greg. Palmieri: Ad Vaticani Archivi Romanorum Pontificum Regesta Manuductio. Romæ, 1884.) A IX. Bonifáczhoz intézett supplicatiók köteteiből legújabban egy fölfedeztetett az eichstädti kir. könyvtár kéziratai között. (Historisches Jahrbuch der Görresgesellschaft. 1887. VIII, köt. 487. s köv. l.

[3] III. Honorius pápa alatt, a XIII. század elején már fönnállott.

A Dataria útján kiállított pápai bullákat külön kötetekbe iktatták be, és ezeket külön levéltárban helyezték el; míg a brévéket és kérvényeket hasonlóképen külön regesta-sorozat és levéltár fogadta be.

Ezen levéltárak a tudományos buvárlat elől még szorosabban el voltak zárva, mint Vatikánnak úgy nevezett titkos levéltára. A múlt századok folyamán csak egy-két történetbuvár előtt nyilt meg, ezek is futólag és keveset meríthettek a dús forrásból.

A magyar egyháztörténelem régibb munkásainak sorából egyedül KOLLER JÓZSEF, a pécsi püspökség nagyérdemű történetírója, részesült azon szerencsében. A dátáriai levéltárból IX. Bonifácz öt bulláját tette közzé.[1] Tekintetbe véve, hogy a dátáriai levéltár pécsi püspökségre vonatkozó okiratot legalább húszszor annyit tartalmaz, azt kell következtetnünk, hogy kutatásaiban a legszűkebb korlátok közé volt szorítva.

Szerencsésebbek voltak a «Monumenta Vaticana Hungariæ» munkatársai, kik előtt a Dataria ezidőszerinti főnöke SACCONI bíbornok ő eminentiája, az 1885-ik év őszén, előzékeny kegyességgel nyitotta meg a lateráni palotában őrzött levéltárt. Majd XIII. LEO pápa ő Szentségének kegyelmes rendeletére, az e sorok írója által kiszemelt kötetek a vatikáni levéltárba szállíttattak, mi által fölhasználásuk jelentékenyen megkönnyíttetett.

Fájdalom, a levéltár egy része a jelen század elején megsemmisült.

Ismeretes, hogy I. Napoleon az egyházi állam elfoglalása után 1810-ben elrendelte, hogy a szent-szék levéltárai Párisba szállíttassanak. Egész szekér-táborra volt szükség, mely a 3239 nagy ládában elhelyezett köteteket és iratcsomagokat a franczia fővárosba szállítsa. De rövid ideig maradtak ott. Napoleon bukása után visszaküldettek Rómába.[2]

A nagybecsű szállítmány útközben sok viszontagságon ment keresztül. Több szekér felfordúlt, tartalma a folyókba esett, még több ment tönkre átázva, az esőzések következtében.

A Dataria levéltárát különösen súlyos veszteségek érték. Bár az elveszett kötetek számát pontosan és biztosan meghatározni nem tudjuk: alig tévedünk, ha fölteszszük, hogy azon levéltári készletnek, mely a Párisba szállítás előtt 16,440 kötetből állott,[3] felénél kevesebb maradt meg.

Elveszett a legrégibb rész: a IX. Bonifáczot megelőző időkből, össze-

---

[1] Historia Episcopatus Quinqueecclesiensis. III. kötetében.
[2] Erre vonatkozólag érdekes adatokat közöl GACHARD: Les Archives du Vatican. Brüssel, 1874.
[3] Az átvételi inventáriumot közli Gachard 21, és 133. ll.

sen 483 kötet. És IX. Bonifácz bulláinak 199 kötetéből csak 101-et bírunk mai nap.[1]

Ezen kötetekbe a bullák fogalmazatainak másolatát iktatták be, azok kiállítása és elküldése előtt. Innen van, hogy nem egyszer oly bullákra akadunk, melyek keresztül vannak húzva, oly észrevétellel, hogy a pápa rendeletére nem expediáltattak, vagy módosíttattak. Mindegyik bulla szövege alatt, más kézzel, a kiállításra és a curiának járó díjakra vonatkozó jegyzet áll.

A bullák osztályokba csoportosítva írattak. A következő osztályokkal találkozunk:

De præbendis vacantibus.
De beneficiis vacantibus.
De præbendis et dignitatibus.
De beneficiis vacaturis.
De provisionibus Prælatorum.
De litteris dominorum Cardinalium.
De regularibus.
De exhibitis.
De diversis formis.

Néha a kötet egészen a bullák egyik osztálya számára volt föntartva; sokszor ellenben négy-öt osztályt tartalmaz, melyek közben üresen hagyott levelekkel vannak elkülönítve.

A lapszámozás rendszerint egykorú és római számokkal történt.

Erős papiros használtatott. Az egyes levelek magassága 30, szélessége 24 centiméter. Mindkét oldalán üres szélek hagyattak. A kötés újabbkori. A kötetek többnyire épen vannak föntartva; kevés van elrongyolt állapotban.

A «Monumenta Vaticana Hungariæ» föladatához képest, a Magyarországot illető bullákat teszszük közzé. A szorosabb értelemben vett Magyarországra, vagyis az esztergomi és kalocsai érseki tartományokra szorítkozunk, melyek magokban foglalják természetszerűen az erdélyi, zágrábi és boszniai püspökségeket. Dalmácziát és a többi melléktartományokat mellőzzük.[2]

---

[1] Tulajdonképen 102 viseli IX. Bonifácz nevét. De az egyik (Anni IV. Liber 129.) IV. Eugén bulláit tartalmazza, és tévedésből jött IX. Bonifácz köteteinek sorába. Viszont nem lehetetlen, hogy a következő pápák neve alatt IX. Bonifácz bulláinak némely kötetét fogjuk még fölfedezni.

[2] Az országos érdekű és köztörténelmi vonatkozású bullákra nézve kivételt tettünk, melyeket közlünk, még ha esetleg közvetlenül a dalmácziai egyházakat illetik is.

A bulláknak egész kiterjedésükben való közzététele felesleges, sőt igazolhatatlan térpazarlás volna; mert tartalmuk túlnyomó részét a mindig egyformán ismétlődő formulák képezik, melyeket elegendő egyszer ismertetni; míg minden következő esetben a lényeges részek közlésére kell szorítkozni.[1]

A teljesség elérése végett, a Dataria levéltárában őrzött regesták mellett, fölhasználandóknak véltük a vatikáni levéltár regesta-köteteit, továbbá a magyar országos és a primási levéltárban őrzött, végre a Koller, Fejér és Theiner oklevéltáraiban kiadott bullákat is. Mindezeknek száma elenyészően csekély a datáriai regesták gazdag tartalmához képest.

Az okiratokat szoros időrendben adjuk a pápai uralkodás évei szerint, melyek a koronázás napjával, november 9-ikével kezdődnek.[2]

III.

A szent-szék hatalomköre, az egyházi kormányzás terén, soha sem volt szélesebb, mint a XIV. században. A pápák magok vették igénybe az intézkedést és rendelkezést az egyházi élet összes vonatkozásaiban; közvetlenül gyakorolták azon jogokat is, melyeket régente elődeik uralkodóknak, főpapoknak és egyházi testületeknek engedtek át. Ok adták a legkülönfélébb fölmentéseket, döntötték el a peres ügyeket és adományozták a javadalmakat.

A pápák azon törekvése, hogy az egyházi javadalmak betöltését kezeikben összpontosítsák a XIII. század elején veszi kezdetét. Ezt a *reservatiók* által kivánták elérni. Bizonyos esetekben, — például mikor áthelyezés vagy a római udvarnál bekövetkezett halál által üresedik meg a javadalom — az adományozást magoknak tartották fönn; vagy egyes javadalmakat jelöltek meg, melyeknek betöltését, megüresedés esetén, előre föntartották a magok részére.[3]

---

[1] A kihagyásokat három pont jelezi. Az «etc.» csak ott alkalmaztatik, a hol az az eredeti szövegben is megvan, és így a már abban előforduló kihagyásokat mutatja.

[2] Az orthographiára nézve ugyanazon eljárást követjük, melyet a jelen vállalat egyik megelőző kötetének (Series I. Tomus II.) bevezetése részletesen ismertet.

***

A jelen kötetben foglalt okiratok lemásolását a vatikáni levéltár tisztviselői szíveskedtek eszközölni. A sajtó alá rendezés munkálatát és az index készítését Dr. Karácsonyi János, nagyváradi egyházmegyei áldozár végezte.

[3] Például III. Honorius pápa (1216—1227) minden székesegyháznál két javadalom betöltését reservált magának.

Az általános gyakorlat Magyarországban is, mely egyébiránt már a korábbi időkben sem vonhatta ki magát a kánoni jog terén érvényre emelkedő elvek uralma alól, meghonosúlt.

Azelőtt az érseki és püspöki székeket, miként a világegyház egyéb részeiben, úgy nálunk is, a káptalanok töltötték be, választás útján.[1] A királyok megelégedtek azzal, hogy jóváhagyásuk kéretett ki.[2]

A XIV. század első esztendejében veszi kezdetét a magyarországi püspöki székek reservatiója a pápák által; és pedig kétféle módon; vagy esetről-esetre a főpap életében föntartják magoknak, bármily módon történjék az üresedés, az utód kinevezését;[3] vagy pedig általánosságban kimondják, hogy bármely érsekséget vagy püspökséget, melynek főpapja más egyház élére helyeztetik át, magok fognak betölteni; mindkét esetben a káptalanok választási jogát hatályon kivül helyezik.[4]

Róbert Károly király megnyugodott ezen helyzetben. Sőt 1333-ban maga fordúlt Rómába azon kérelemmel, hogy a győri püspökség betöltését a pápa reserválja magának;[5] mert törvénytelen fiát, Kálmánt, óhajtotta arra a székre emeltetni. Utódai sem emeltek a római curia eljárása ellen kifogást.

Azonban a káptalanok nem oly könnyen nyugodtak meg legjelentékenyebb joguk elvesztésében. És ezt alkalmazásba venni olyankor is megkísérlették, mikor a pápai reservatio útjukban állott.

Erre nézve érdekes esetet tartalmaz a jelen kötet.

Zudar János váradi püspök életében (1383—1395), utódjának kinevezését IX. Bonifácz magának tartotta fönn. Mindazáltal ezt nem véve tekintetbe, a váradi káptalan, azonnal a temetés után egybegyűlt, és a maga kebeléből Pál köleséri főesperest egyhangúlag megválasztotta.

A pápa, mikor a választott püspök a megerősítésért folyamodott, a reservatióra utalva, a választást érvénytelennek nyilatkoztatta. Mindazáltal a váradi egyházat — mint bullájában kiemeli — a hosszú üresedés alkalmatlanságától megszabadítandó, tekintettel Pál főesperes kitünő tulaj-

[1] A XIII. században történt választásokról értekezik Knauz Nándor »A pozsonyi prépostság« czímű tanúlmányában. (Esztergom, 1880.) 68. s köv. l.

[2] IV. Béla 1245-ben IV. Incze pápának előadja, hogy »de antiqua et approbata Regni consvetudine, hactenus pacifice observata, in electionibus Pontificum assensus Regius debeat postulari«. (Fejér. Codex Diplom. T. IV. Vol. I. p. 364.)

[3] Így például XXII. János pápa 1325. október 8-án a váradi, győri, pécsi és erdélyi püspökségekről intézkedik ily módon. Theiner I. 502—3.

[4] Szvorényi. Historiæ Ecclesiasticæ Regni Hung. Amœnitates. (Jaurini 1796.) Fasciculus, VI. p. 33.

[5] A pápa ezt meg is teszi. Theiner. I. 553.

donságaira és a választó káptalan egyértelmű akaratára, ugyanőt váradi püspökké *kinevezte*.[1]

Pál püspök kineveztetése alkalmával, sietett IX. Bonifácz újból reserválni a váradi püspökség betöltését, mire annak néhány hónap múlva bekövetkezett halála csakhamar alkalmat nyújtott.[2]

Miként a káptalanok jogait főpapjuk megválasztására; úgy a szerzetesrendek jogait is az apátjok és prépostjok megválasztására, a legtöbb esetben, felfüggesztették a római reservatiók. Mindazáltal — a jelen kötetben foglalt oklevelek tanúsága szerint — a pápa mindig figyelemmel volt arra, hogy az, a kit kinevezett, azon szerzet tagja legyen, melyet hívatva lesz kormányozni; sőt rendszerint azt nevezte ki, a kit a monostor szerzetesei ajánlottak.

A világi prépostságok betöltésére, melyek a királyi kegyurasághoz tartoztak, szintén kiterjeszkedtek a reservatiók.

Érdekes e tekintetben a következő eset.

A veszprémi, esztergomi, kalocsai megyékben fekvő fehérvári, szepesi és titeli egyházakban létező prépostságok «az apostoli szentszék különös kiváltsága, valamint a régi jóváhagyott és ellenmondás nélkül megtartott szokás alapján» az idő szerint uralkodó magyar királyok előterjesztésére (ad præsentationem) töltettek be. A király be nem várva azt, hogy ezek közől valamelyik tényleg megüresedjék, Szepesi Jakab erdélyi kanonokot ajánlotta a pápának; ki ennek következtében Szepesi Jakabot fölhatalmazta, hogy a jövőben megüresedő prépostságok közől maga idején, egyet választhasson és elfoglalhasson.[3]

IV.

A Datariának legtöbb dolgot a káptalani javadalmak adományozása adott.

---

[1] Az erről 1396. január 24-én kiállított pápai bulla több tekintetben kiegészíti Bunyitay Vincze «A váradi püspökség története» czímű nagybecsű munkáját. Még ebben nem határozhatta meg, hogy mily módon üresedett meg ez alkalommal a püspökség, a bullából megtudjuk, hogy Zudar János halála által. Továbbá Pál püspök személye annyira homályba volt burkolva, hogy Bunyitay azon kérdést is fölvethette: vajjon nem azonos-e Horváthi Pállal, kit Zsigmond a zágrábi püspökségtől megfosztott? Legújabban pedig a kalocsai érsekség tudós történetírója azon föltevést koczkáztatta, hogy Farkasfalvi Pál tinnini püspökkel egy személy. (Az 1888-dik évi kalocsai Schematismusban. 22. l.)

[2] Az 1397. márczius 22-kén kelt kinevezési bullát a következő kötetben fogjuk közölni.

[3] 1390. június 8-kán.

Ez rendszerint folyamodás alapján történt, melyet vagy a kérelmezők magok, vagy azoknak magas állású, egyházi és világi jóakarói intézték a pápához.

Ezen folyamodásnak a curiánál készült kivonatát (supplicatio) terjesztették a pápa elé, ki a kedvező elintézés esetén, a «Fiat» (Legyen meg) szócskát és a saját keresztnevének kezdőbetűjét jegyezte alá.

Mire az adománylevél kiállíttatott.

Ezen pápai adományozásnak különféle formái voltak.

Leggyakoribb az az eset, hogy a pápa egy bizonyos, meghatározott káptalani javadalmat, mely birtokosának előmozdítása, lemondása, szerzetbelépése, elmozdítása vagy halála által üresedett meg, adományoz. (Canonicatum cum præbenda.) Ilyenkor az előbbi javadalmas neve és a megüresedést előidéző körülmények is megemlíttetnek.

Gyakran történik, hogy a pápa valamelyik egyházi férfiút bizonyos megjelölt káptalanban kanonokká nevezi ki a nélkül, hogy bizonyos javadalmat is adományozna részére (Canonicatum sub expectatione præbendæ); de azon jogot biztosítja néki, hogy a kinevezés idejében üresedésben levő vagy jövendőre megüresedő javadalmak közöl egyet, bizonyos határidő alatt, választhasson; a mely választási szabadság néha az összes javadalmakra terjeszkedett ki, legtöbbnyire azonban a magasabb káptalani méltóságok kizárásával adatott.

A magasabb káptalani méltóságokra és tisztségekre a pápa rendszerint előléptetés útján nevezett ki ugyanazon káptalanból kanonokokat, még akkor is, ha a káptalanok, régi gyakorlat értelmében, magok választhattak volna. De nem ritkán történt meg az is, hogy azokra más káptalanok tagjai helyeztettek át; vagy egyházi férfiak, kik kanonokok sem voltak, egyenesen káptalani méltóságokra emeltettek.

A püspökök meghajoltak ugyan a tényleg fönnálló viszonyok hatalma előtt; sőt sokszor magok fordúltak a pápához ajánlóleveleikkel, mikor kegyelt papjaikat javadalomra akarták segíteni;[1] azonban nem egyszer magok adományozták a káptalanukban megüresedett javadalmat, mielőtt az, kinek pápai adománylevél alapján igénye volt, jelentkezhetett; sőt oly eset is fordúlt elő, mikor a pápai adománylevél birtokosát, miután a javadalmat már elnyerte, ettől megfosztották, és helyébe mást neveztek ki.

Mária királyné és Zsigmond király az ellen, hogy a kanonoki javadalmakat a pápa töltötte be, nem csak hogy kifogást nem emeltek, de

[1] A jelen kötetben legtöbbször Alsáni Bálint bibornok, pécsi püspök, ajánlásaival találkozunk.

mikor udvari papjaik és egyéb híveik jó szolgálatait egyházi javadalmakkal óhajtották jutalmazni, mint kérelmezők jelentek meg a pápa előtt.[1]

Nem kevéssé feltünő ezek után Zsigmond király föllépése 1394. elején. Pozsonyban tartózkodása alkalmával értesül arról, hogy idegen emberek a pozsonyi káptalanban kanonoki javadalmakat foglalnak el, miből nehézségek és botrányok keletkeznek. Rendeletet bocsát ki, melyben arra utalva, hogy a pozsonyi egyháznak ő az igazi kegyura, minélfogva abban a javadalmak adományozása az ő rendelkezéséhez tartozik; a pozsonyi káptalan tagjainak, javadalomvesztés büntetése alatt meghagyja, hogy az ily idegeneket az ő egyenes engedélye és jóváhagyása nélkül ne fogadják be, «még ha a pápa vagy követeinek leveleivel volnának is ellátva».[2]

Kevéssel utóbb Miklós, Hartmann fia, bécsi pap — a ki még 1391 január 21-ike előtt nyert adománylevelet a pozsonyi kanonokságra, és a passaui egyházmegye aich-aich-i plébániájára, ugyanazon év január 21-ikén pedig freisingeni és egri kanonokká s ugyanitt aba-ujvári főesperessé neveztetett ki[3] — megjelent Pozsonyban, és pápai adománylevelet mutatva elő, egy megüresedett kanonoki javadalomra emelt igényt. A káptalan elutasította. Mire Miklós pap — túllépve jogkörén, haragja által elragadtatva — a káptalani egyházat interdictum alá vetette. A káptalan panaszt tett a királynál. Ez korábbi rendeletét érvényben tartotta. «Mivel — úgymond — azt kívánjuk, hogy országunk területén bullások, különösen pedig idegen származásúak, egyházi javadalmat el ne nyerhessenek; meghagyjuk, hogy ezentúl ily bullásokat elfogadni ne merészeljetek, és az egyházi interdictumot figyelembe ne vegyétek.»[4]

Ezen első nyilt föllépés a pápai adományozások ellen eredménytelen maradt, mert maga a király sem tett kísérletet, hogy annak hatályt kölcsönözzön. A pápai adományozások ez után is tovább folytak. De később — mint a következő kötetben látni fogjuk — törvényhozási intézkedést provokáltak. (1397.)

A pápai adománylevelek birtokosainak, a királynál és a főpapoknál

[1] Mindkettőnek ajánlására János erdélyi kanonok prépostságot kap. Mária ajánlására, udvari káplánja, Parlagi András váradi kanonokságot, Tarkövi Pál a dömösi prépostságot kapja. Zsigmond ajánlására Usk János kir. jegyző Erdélyben, Péli András Nyitrán, László váradi pap Váradon kanonok, Zalai Pál szepesi kanonok Kalocsán őrkanonok, László ó-budai kanonok Veszprémben prépost lesz.

[2] Az 1394. márczius 25-kén kelt királyi rendelet a pozsonyi káptalan levéltárában. Közli Knauz. Magyar Sion 1863-ik folyam 411.

[3] Lásd e kötetben a CLVIII számú bullát.

[4] Az 1394. május 19-iki rendelet Magyar Sion, 1863. 411.

több bajt okoztak a bitorlók, kik önkényesen, vagy épen erőszakosan helyezték be magokat a javadalmakba, melyekre amazok igényt tartottak.

Ily esetben az adományosok a pápai itélőszék előtt pert indítottak. A pápa rendszerint egyik ügy-hallgatóját (sacri palatii auditor) bízta meg a vizsgálat megindításával.

A per lefolyása hosszadalmas szokott lenni. Mielőtt az itéletet meg lehetett hozni, gyakran a felperes előbb meghalt, vagy igényeiről lemondott; többször az alperes múlt ki, vagy önkényt visszavonúlt és helyét egy másik bitorló foglalta el.

Az itélet végrehajtására és a javadalom törvényes birtokosának behelyezésére pápai biztosok küldettek ki. Ezek föl voltak hatalmazva, hogy az egyházi büntetések alkalmazása mellett, a világi karhatalmat is igénybe vehessék.

V.

Plébániákra, kápolna- és oltárjavadalmakra is kiterjeszkedtek a pápai adományozások.[1] Ezek kétféle módon történtek. Az adományos vagy egy bizonyos tényleg már megüresedett javadalmat nyert el, vagy pedig földjogosíttatott, hogy bizonyos főpap vagy egyházi testület adományozási jogköréhez tartozó javadalmak közől, egyet a mikor meg fog üresedni, választhasson. Szoros különbség tétetett azon javadalmak között, melyekkel lelkipásztorkodás és egyházi hatóság van összekötve, és az egyszerűek között, melyekkel ilyen teher nem járt. (Beneficium cum cura, et sine cura.) Továbbá rendszerint meghatároztatott a választás alá eső javadalmak jövedelmének maximuma: a lelkipásztorkodással járó javadalmaknál 25 ezüst márka (100 forint), a többieknél 18 márka (72 forint), a pápai tized kivetésénél történt becslés alapján.

Úgy a káptalani, mint a többi javadalmak elnyerésének föltétele volt az, hogy az adományos előbb vizsgálatnak vesse magát alá, és igazolja, hogy a szükséges kánoni kellékeket bírja; ha pedig bizonyos, nem egészen lényeges kellékeket nélkülözött, azoknak záros határidő alatt megszerzésére magát esküvel kötelezze. A vizsgálat eredményétől függött az, hogy a javadalmak melyik categoriájából választhatott magának javadalmat. Ha a káptalani méltóságokra szükséges kellékeket nélkülözte, a kano-

[1] És pedig egyházi kegyurasághoz tartozókra. Nincs ekkorig adat arra, hogy pápa királyi vagy más világi kegyurasághoz tartozó plébániát adományozott volna.

nokságokra kellett szorítkoznia; ha a lelkipásztorkodással járó javadalmakra nem volt alkalmas, csak egyszerű (sine cura) javadalmat választhatott.

A vizsgálat és a megfelelő javadalom megválasztása után következett a beiktatás és bevezetés.

A vizsgálat és a beiktatás eszközlésére a pápa minden egyes esetben *biztosokat* nevezett ki, rendszerint hármat, ritkábban kettőt vagy csak egyet. Ezeknek sokféle teendőik voltak, melyeket a hozzájok intézett pápai irat szabatosan előadott.

Mindenekelőtt tisztába kellett hozniok, vajjon a pápa által adományozott, illetőleg az adományos által választott javadalom tényleg és törvényesen megüresedett-e? És ha igen, vajjon nincs-e arra más valakinek jogos elsőbbségi igénye? Oly esetekben, mikor a pápa jövőben megüresedő javadalmat adományozott, a biztosok értesítették erről az illető főpapot és a káptalant, oly fölszólítással, hogy a megüresedő javadalom adományozásától tartózkodjanak.

A vizsgálat és beiktatás után, a biztosok kötelessége volt a beiktatásnak ellenszegülőket megfékezni, a netán betolakodott bitorlókat eltávolítani.

A biztosok közől elég volt egynek eljárni a rábízott tisztben, sőt ezt helyettesre is bizhatták. Mivel az ily eljárásokért nem jelentéktelen dijak fizettettek, a biztosok tiszte keresett volt. A pápa a biztosok legnagyobb részét a magyarországi főpapok és dignitariusok sorából szemelte ki; de sűrűn fordúlnak elő idegenek is, kik természetesen magyarországi collégáikra hagyták föladataik megoldását.

A meg nem üresedett javadalmak adományozásának következménye az volt, hogy egészen bizonytalanná vált, mikor és milyen javadalmat fog az adományos elnyerni. Ezért a folyamodók oda törekedtek, hogy a választásban a lehető legszélesebb körű szabadságot biztosítsák magoknak; és ezzel meg nem elégedve, egyidejűleg vagy egymásután több adománylevelet igyekeztek kieszközölni.

Így például Upori István mester, váradi éneklő kanonok, rövid időközben, az esztergomi, egri, fehérvári, veszprémi és szepesi káptalanokban megürülendő méltóságok és kanonokságok egyikére, majd a veszprémi Mindenszentek prépostságra, végre a titeli prépostságra is kapott adománylevelet. (CCXXXI., CCXXXIII.)

Mindazáltal több rendbeli adománylevél kiállítása esetén, a későbbibe rendszerint fölvétetett azon záradék, hogy, a mikor azok alapján az adományos tényleg elnyer valamely javadalmat, a korábbi adománylevelek érvényteleneknek tekintendők.

Ezen rendelkezés nem zárta ki a javadalmak cumulatióját. A jelen kötetben is sűrűn találkozunk esetekkel, mikor egyházi férfiak három-négy, sőt több javadalmat is bírnak különböző egyházmegyékben, nem egyszer különböző országokban.

Ezen a középkor folyamán általánossá vált és az egyház érdekeire nagy mértékben hátrányos gyakorlatból származó bajokat mérsékelte azon szabály, mely szerint rendesen csak oly esetben lehetett több javadalmat bírni, ha a javadalomban való tartózkodástól a magasabb érdekek sérelme és a hívek kára nélkül meg lehetett adni a fölmentést, vagy pedig a megfelelő helyettesítésről gondoskodás történt.

A szent-szék óvatosan őrködött ezen szabály megtartása fölött; és mikor valamelyik egyházi férfiú két javadalom kötelességeinek meg nem felelhetett, az egyikről le kellett mondani, mihelyt a másikat elfoglalta. Számos ilyen eset fordúl elő a jelen kötetben. Különös kegyelem ténye, kivétel gyanánt emelik ki az adománylevelek azon esetet, mikor több javadalom együtt bírása megengedtetik.

Ezen esetek között különös figyelmet érdemel az, mikor a pápa Lukács óbudai prépostot és budai egyetem kanczellárját a csanádi püspökségre emelve, fölhatalmazza, hogy úgy a prépostságot megtarthassa, mint a kanczellári tisztet is tovább viselhesse; valamint mikor Pál somogyvári apátot a jaroszlavi püspökségre emeli, és a püspöki jövedelmek csekély volta miatt az apátság megtartását engedélyezi. (CCCXXIII. és CCCXXXVIII.)

Más tekintetben is nagy körültekintéssel jár el a pápa a javadalmak adományozásánál.

A szerzetes apátságok és prépostságok betöltésénél szakít azon gyakorlattal, mely szerint a szerzetek elöljáróivá világi papok sorából választott gubernátorok állíttattak. Három esetben ő is világi papot nevez ki apáttá, illetőleg préposttá; de két esetben föltételül tűzi ki, hogy a rend tagjává válni és a fogadalmakat letenni köteles legyen; a harmadik esetben pedig bíbornok az, kinek javára a kivételt teszi. (CXI.)

A kánoni jog és a szokás megengedte a sine cura javadalmaknak kiskorúak részére adományozását. De IX. Bonifácz ezen jogot a legritkább esetben vette igénybe. A jelen kötet csak egy ily esetet tartalmaz; mikor tizenkét éves ifjú, nemes család sarja, de már is pécs-egyházmegyei «clericus», zágrábi kanonokságot nyer el. Az a három egyetemi tanuló, kiknek javadalmak adományoztatnak, kétségkívül már előrehaladottabb kort ért el.

Még nagyobb jelentőségű azon tény, hogy a pápa, figyelembe véve

a magyarok nemzeti féltékenységét, külföldieknek aránylag gyéren adományozott magyarországi javadalmakat. Kétszáznál több adománylevélből csak 13 van külföldiek javára kiállítva. Ezek közül *öten* a bíbornoki collegium tagjai,[1] *ketten* a római udvar előkelő tisztviselői, *egy* Zsigmond király kanczelláriájának tagja.

Kellően tekintettel volt IX. Bonifácz a király és királyné, valamint a magyarországi püspökök ajánlására is, melyet az adománylevelekben az adományozás indokolására mindenkor megemlített.

Sőt egyes püspököknek kivételesen fölhatalmazást adott arra is, hogy a káptalanukban megüresedő bizonyos számú javadalmakat függetlenül tölthessenek be.

Egyébkint azon felfogás, hogy a pápa az egyházi javadalmak adományozási jogának egyetlen forrása, annyira átment a köztudatba, hogy azok, kik püspöki kinevezés alapján nyertek el javadalmat, birtokjoguk szilárdságában nem bíztak, és a pápához folyamodtak megerősítésért, illetőleg új adományozásért. A mely kérelmök készséggel teljesíttetett. A jelen kötetben számos ilyen új adományozással találkozunk.

A pápai adománylevelek az egyháztörténelmi adatok gazdag tárházát képezik.

Első sorban jelentékenyen kiegészítik a káptalanok tagjainak névsorát,[2] és több főrangú család nemzedékrendjét.[3]

Az adományos érdemei, melyek a pápát az adományozásra indítják, rendszerint a hivatalos irály stereotyp és azért semmit mondó kifejezéseivel vannak jellemezve; mindazáltal szórványosan figyelmet érdemlő részletek is fordulnak elő. Mikor az adományos akadémiai fokozatokkal dicsekedik,[4] egyetemen tanúl,[5] királyi[6] vagy pápai szolgálatban[7] áll; ezt mindenkor kiemeli a pápa.

---

[1] Bertalan bíbornok Esztergomban a szent-györgy-mezei prépostságot — melyet 200 forintért bérbe adott volt — kanonoksággal bírta. Váradon a bihari főesperességet, kanonoksággal nyerte adományúl.

[2] A jelen kötet Indexében, a megfelelő helyeken, csoportosítva van az adományosok névsora.

[3] Mindig megemlíttetik az atya neve, és mikor nemes vagy bárói rangban van, ez különösen ki van emelve.

[4] János, Szepesi Jakab fia, erdélyi kanonok *decretorum doctor*. Négy *magister in artibus* fordúl elő: Ojtai Henrik és Upor István váradi kanonokok, Miklós egri és Miklós bosniai kanonokok. Négy *baccalaureus*: Mihály, Pál bán fia, bosniai őrkanonok, István egri, Miklós váczi, Esztergomi János erdélyi kanonokok.

[5] Miklós, Jakab fia, egri kanonok és Egyed, Szekeressy Márton fia, erdélyi clericus Bécsben tanúlt; Miklós, Hartmann fia, jogtanuló, egri kanonok.

[6] Usk János prágai pap, királyi jegyző erdélyi és Parlagi András a királyné udvari papja váradi kanonokságot nyer el. György Gál fia, pécsi kanonok, Zsigmond király udvari embere a residentiától fölmentetik.

[7] Ilyenek: Jakab, bosniai kanonok és Roger mester pozsegai prépost, pápai referendáriusok;

Az adománylevél az adományozott javadalom mikénti megüresedését is elbeszéli. Legtöbb esetben a halál, de nem ritkán még szomorúbb ok idézi elő: a javadalmasoknak bűntény következtében elmozdítása.

A folytonos hadjáratok és belháborúk korában, az erkölcsök elvadulásának sokféle nyilatkozatai közepett, nem lehet meglepő, ha az egyházi férfiak sorában is találkoznak, kik a harag föllobbanásakor, vagy a boszúvágy kielégítésére fegyvert ragadtak, és ellenségeik vérében oltották el a gyülölet szomját. A jelen kötet öt ilyen egyházi férfiúval ismertet meg.

Péter, a jeruzsálemi szent-sír-lovagrend budai és esztergomi házainak főnöke egy Szentkirályi Dömjén nevű világi urat; Garázda András hantai prépost az Ágoston-rend nádasdi perjelét, két világival; Mihály temesi főesperes két világit ölt meg; Fodor János zágrábi kanonok és Tamás csázmai őrkanonok szintén emberölés vádját vonták magokra.

Miklós bicsei plébános a várnagygyal és bírákkal szövetkezve, Miklós nyitrai pap ellen erőszakos támadást intézett, őt hosszabb ideig saját plébánia-házában szigorú őrizet alatt tartotta; Jakab csanádi prépost egy plébánost fogva tartott és halálig kínzott; Mihály erdélyi kanonok közjegyzői oklevél hamisítását követte el; Ujvárasi János erdélyi kanonok nőrablásról, Szent-Ambrusi Miklós nyilvános erőszakoskodásról, Puck Miklós dombrói plébános istenkáromlásról vádoltatott.

Tonch András esztergomi kanonok pedig a szent-szék haragját és a kiközösítést az által vonta magára, hogy nápolyi Kis Károly pártjához állhatatosan ragaszkodott, és mikor azt a pápa egyházi átokkal sujtotta, akkor sem pártolt el tőle. Miklós szekszárdi apát, mivel VI. Orbán pápa egyik magyarországi követének utiköltségeihez járulékát megfizetni vonakodott, egyházi átokkal sújtatott; de ezzel nem gondolva, folytatta egyházi ténykedéseit.

Mindezek ellen vizsgálat és törvényes eljárás indíttatott, és miután a bűntények, melyekről vádoltattak, igazoltattak, javadalmaiktól megfosztattak.

Szemben az indulatok és szenvedélyek áldozataival, nem hiányoznak az önmegtagadás példányképei: azon egyházi férfiak, kik a magasabb

Várasi Gergely zágrábi pap, pápai udvarnok; Helman Miklós erdélyi pap, a pápai palota szolgája; János erdélyi pap, az ostiai bibornok-püspök udvari embere. Pápai adószedők: a kalocsai megyében Szemere János kalocsai olvasó kanonok; az egriben János egri beneficiatus; a pécsiben Jecoza Henrik valkói főesperes; a zágrábiban Fábián csázmai kanonok; a veszprémiben Somogyvári Péter fehérvári őrkanonok és Sartoris János veszprémi kanonok.

tökélyesülés vágya által indíttatva, előkelő javadalmaikról lemondottak, hogy a világ mozgalmaiból menekülve, a kolostor magányában életüket az áhitat gyakorlatainak szenteljék.

Fekete Gál kalocsai őrkanonok, Balázs kalocsai őrkanonok, Ferkel Miklós pozsegai kanonok, Márton fehérvári Szent-Miklós prépost, Mátyás nyitrai kanonok és Gál a pécsi ispotály igazgatója a *Pálos*-rendbe; Miklós kalocsai kanonok *Sz.-Ágoston* rendjébe; Bellusi Kónya Miklós szepesi kanonok a *karthauzi* rendbe léptek.[1]

VI.

A pápai adománylevelek legnagyobb részében az adományozott javadalom jövedelme is meg van említve, oly módon, hogy bizonyos összeg neveztetik meg, melyet a jövedelem «az általános becslés szerint meg nem halad». Habár természetesen ezen összegek csak hozzávetőleg vannak számítva, a pontosság és biztosság kellékét nélkülözik: mégis némileg tájékozást nyújtanak a javadalmak értékéről.

Helytörténeti tekintetben kiváló érdekkel bírnak az egyes templomok és kápolnák részére engedélyezett *búcsúk;* minthogy azokért rendszerint akkor szoktak volt a főpapok és kegyurak folyamodni, mikor a templomok és kápolnák épültek vagy átalakíttattak, és így a hívek hozzájárúlását s áldozatkészségét kívánták biztosítani.

Ezért a pápai bullák rendszerint a búcsú kedvezéseiben való részesülés föltétele gyanánt az építkezési munkálatokban való közreműködést vagy a költségekhez való hozzájárulást emelik ki.

A jelen kötetben a következő búcsú-engedélyek találhatók.

Az *esztergomi* egyházmegyében: az alapi, iglói, káposztafalvi, leibiczi, szepes-olaszi templomok, a Villa Bringonis, Villa Russlini nevű falvak templomai, a lőcsei-plébánia templom két kápolnája és a Villa Stoiani nevű falu kápolnája részére.

A *kalocsai* megyében a halasi templom részére.

A *veszprémi* megyében a budai b. Szűz templomának négy oltára és a sz. Magdolna-templom egy oltára, a székesfehérvári templom egy kápolnája, és a babócsai templom részére.

[1] Nem csatolom ezekhez Ferencz veszprémi papot, ki a Szent-Benedek-rendbe lépve, már kapornaki apátnak van kijelölve, sem Tamás fehérvári kanonokot, ki a jeruzsálemi szent-sír lovagrend házfőnökévé neveztetik.

A *váczi* egyházmegyében a gyadai plébánia részére.

A *győri* megyében a fraknói és nagymartoni templomok részére.

A *váradi* megyében a székesegyház egy oltára és a püspöki plébánia-templom részére.

A *csanádi* megyében a miklós-győrki és rékási plébánia-templomok részére.

Az *erdélyi* megyében a somogyoni és valthidai plébánia-templomok részére.

Végre a *jászói* kápolna, *örményesi* kolostor és *zseliz-szent-lászlói* monostor templomai részére.

A pápai bullákban fel vannak sorolva az ünnepek, melyekre az búcsú szól. És minden félreértést kizáró módon meg van magyarázva a adott búcsúk természete; mely t. i. abban áll, hogy a pápa «a bűneiket igazán megbánó» ájtatoskodóknak bizonyos számú évek elégtételének megfelelő részt az itt és a túlvilágon reájuk rovandó büntetésekből elenged.

A pápai kegyelem másféle nyilatkozataival is sűrűn találkozunk azon bullákban, melyeket a jelen kötet tartalmaz.

Ez időben kezdett szokásba jönni a *pápai káplány* czímének adományozása, világi és szerzetes papok részére, kik tudományosságuk által tüntek ki.

IX. Bonifácz uralkodásának első hét esztendeje alatt a következő magyarországi egyháziak részesültek ezen kitüntetésben: Eberhard mester szebeni prépost, György mester bácsi főesperes, Terebesi Lőrincz váradi kanonok, Gergely mester bosniai kanonok, Miklós mester győri kanonok, Tamás székesfehérvári tanító-kanonok, János mester és Benedek zágrábi kanonokok, Korponai István kápolna-igazgató, János jászói és Domonkos leleszi prépostok, Pál dénesmonostori apát, Tamás prémontrei, András ágostoni, Miklós ferenczrendű szerzetesek.

Magasabb méltóságra emeltetett Pécsi Benedek, ki a szidoni püspökséget in partibus infidelium és Pál somogyvári apát, ki a jaroszlavi püspökséget nyerte el.

A kegyelmi tények sorába tartoznak: az engedélyek, melyeket a pápa egyházi férfiaknak a végrendelkezésre, egyháziaknak és világiaknak gyóntatójuk szabad megválasztására, előkelő hölgyeknek az apáczazárdák látogatására adott; a Domokos rendű-apáczák zárdái részére tized- és adómentesség kiváltságának adományozása; a felmentések, melyekben a pápai és királyi szolgálatban működő, valamint az egyetemeken tanuló egyháziakat a javadalmaikon való tartózkodástól részesítette; a dispensatiók házassági

akadályoktól és fogadalmaktól. Az utóbbiak közől kiemelendő Kanizsai Miklós, János érsek testvérének ügye. Ezen főur első nejének halála után fogadalmat tett, hogy többé nem fog házasságra lépni. Vagyonát egyházi alapítványokra fordította. Egyebek közt az örményesi Pálos-zárdát létesítette. Azonban utóbb látván, hogy nemzetsége megfogyott, annak föntartása végett második házasságot kívánt kötni. A pápa készséggel mentette föl fogadalmától. És csakugyan az ő gyermekei tartották fönn még másfél századon keresztűl a nagynevű családot.[1]

Kanizsai János érseket pedig ismételten részesítette IX. Bonifácz kitüntető kegyelmében. Előbb, az ő személyére mindaddig, míg az esztergomi széket foglalja el, az esztergomi érseki tartomány területén *a primás* és *a szentszék született követe* hatóságát és jogait ruházta. Majd utóbb ezen hatóságokat és jogokat, személyét illetőleg, a kalocsai érseki provincia területére is (így tehát egész Magyarországra) kiterjesztette; ugyanakkor pedig utódait is, az esztergomi érseki provincia területén, a primási és követi méltóság jogaival fölruházta. Ezzel «különös szeretetét Magyarország», jóakaratát Zsigmond király és elismerését a primás kiváló tulajdonai iránt kívánta kitüntetni.

Gyakran fordúltak a pápához régi kiváltságok és birtokjogok megerősítéseért,[2] az egyházi birtokoknak erőszakos támadásokkal szemben megoltalmazásáért,[3] és új egyházi adományozások és alapítványok jóváhagyásáért.

Ezen utóbbiak sorában kiemelendő a szent István első vértanúról czímzett *esztergomi társaskáptalan* alapítása Kanizsai János érsek által (CCXCI.), egy Klarissza-apáczazárda alapítása Sebenicóban Zsigmond és Mária által. (CXLII.)

A magyar király iránt a pápa minden alkalommal kitüntette jóakaratát. Mikor Zsigmond a birodalmának déli tartományait fenyegető törökök ellen (1390—2) háborúskodott, kérésére IX. Bonifácz a hadjáratban résztvevő vitézeket ugyanazon búcsúkban részesíté, melyek egykor a keresztes hadjáratok alkalmával engedélyeztettek; továbbá fölmentette azokat a böjt kötelezettségétől és a hadjárat lefolyása alatt, bármily idézésre, a törvényszékek előtt való megjelenéstől. (CCIII—CCV.)[4]

---

[1] Nagy Iván. Magyarország családai. VI. 65.

[2] Igy megerősíti a bors-monostori (kéthelyi) apátság, a karthauzi-rend, a veszprémvölgyi apáczák kiváltságait, a jászói prépostság részére IV. Béla királytól származó birtokadományokat.

[3] Az esztergomi érseknek és a győri püspöknek «defensor»-okat rendel.

[4] A pápa 1391. tavaszán Userobi Péter prágai főesperes és pápai titkár személyében nuntiust küldött Magyar- és Csehországba (CLXXV.). Mi volt megbizása, nem tudjuk. 1394. tavaszán pedig

Majd miután (1393—4) Bolgárország is a törökök hatalmába került, és mind nagyobb veszély fenyegette Magyarországot, a pápa keresztes hadjárat hirdetését határozta el. Ezen czélból 1394. őszén egy láng-lelkü domonkos-rendi szerzetest, Gubbiói János atyát, Albert osztrák herczeg tartományaiba valamint a velenczei köztársaság területére mint a szent-szék követét küldötte, oly megbizással, hogy katonákat toborzzon és pénzsegélyt gyüjtsön; az egyház kegyeinek tárházát felnyitva mindazok részére, kik Magyarország megmentésében közreműködni készek. (CCXCIX—CCCII.)

a neopactei érseket küldötte Horvátország, Szlavonia, Dalmáczia és Bosznia területére, hogy a Sziczíliát fenyegető ellenpápa leküzdésére hadakat és pénzsegélyt gyüjtsön. (CCLXXXIX.)

BULLÆ BONIFACII IX. P. M.

1389—1396.

ANNUS PRIMUS.

1389. 9. NOVEMBRIS—1390. 8. NOVEMBRIS.

I.

1389. 9. Novembris.

Ladislao Johannis Canonicatum in ecclesia Strigoniensi confert.

(Anni I. Liber II f. 64t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Quinqueecclesiensis salutem etc. Dignum etc. Volentes igitur dilectum filium Ladizlaum Johannis canonicum Quinqueecclesiensem, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, nec non consideratione dilecti filii nostri Valentini tituli Sancte Sabine presbyteri Cardinalis, pro ipso Ladizlao nepote suo nobis humiliter super hoc supplicantis, favore prosequi gratioso, discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinationem dictum Ladizlaum bene legere, bene construere, et bene cantare ac congrue loqui latinis verbis et alias ydoneum ad obtinendum dignitatem vel personatum seu officium esse reppereris, vel etiam si idem Ladizlaus non bene cantaret, dummodo in tuis manibus iuret ad sancta Dei evangelia, quod infra annum, a tempore examinationis huiusmodi computandum, bene cantare addiscet, dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura Strigoniensis vel alicuius cathedralis seu collegiate ecclesie in provincia Strigoniensi consistentes, etsi dignitas huiusmodi in Strigoniensi vel cathedrali maior post pontificalem seu principalis in collegiata ecclesiis huiusmodi fuerit, et ad illam consveverit quis per electionem assumi; et si forsan ita esse non inveneris ipseque Ladizlaus non bene cantet et non iuraverit ut prefertur, dummodo ipsum alias post eandem examinationem ad obtinendum officium sine cura ydoneum esse reppereris, super quibus tuam conscientiam oneramus, sine cura dumtaxat officium, si qua vel si quis aut si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, quam vel quem seu quod dictus Ladizlaus, per se vel procuratorem suum ad hoc legitime constitutum, infra unius mensis spatium, postquam sibi vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxerit acceptandam vel acceptandum, conferendam seu conferendum eidem Ladizlao post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi

tue auctoritate nostra reserves, districtius inhibentes venerabilibus fratribus nostris archiepiscopo Strigoniensi et eius suffraganeis et dilectis filiis capitulo ipsius Strigoniensis vel alterius ecclesie, in qua huiusmodi dignitas vel personatus seu officium forsan fuerint ac illi vel illis, ad quem vel ad quos huiusmodi dignitatum vel personatuum seu officiorum collatio, provisio, presentatio, electio seu quevis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, ne de huiusmodi dignitate vel personatu seu officio interim etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod Ladizlaus vel procurator predicti illam vel illum seu illud noluerint acceptare, disponere quoquo modo presumant; ac nichilominus huiusmodi dignitatem vel personatum seu officium, quam vel quem seu quod reservabis, sicut premittitur vacat, vel cum vacaverit eidem Ladizlao post acceptationem predictam, cum omnibus iuribus et pertinenciis. eadem auctoritate conferas et assignes. Inducens per te vel alium seu alios eundem Ladizlaum vel dictum procuratorem eius nomine, in corporalem possessionem dignitatis vel personatus seu officii iuriumque et pertinentiarum predictorum et defendens inductum, ac faciens ipsum Ladizlaum vel dictum procuratorem pro eo ad dignitatem, personatum vel officium huiusmodi, ut est moris, admitti sibique de ipsius dignitatis, personatus seu officii fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi. Contradictores auctoritate. etc Non obstantibus quibuscumque statutis et consvetudinibus ipsius Strigoniensis vel alterius ecclesie, in qua huiusmodi dignitas vel personatus seu officium forsan fuerint, contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis. Aut si aliqui super provisionibus sibi faciendis de huiusmodi dignitatibus vel personatibus seu officiis speciales vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales dicte Sedis vel legatorum eius litteras impetraverint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, preterquam auctoritate nostra huiusmodi dignitates vel personatus seu officia expectantibus, dictum Ladizlaum in ipsius dignitatis vel personatus seu officii assecutione volumus anteferri; sed nullum per hoc eis quoad assecutionem dignitatum vel personatuum seu officiorum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari. Seu si eisdem archiepiscopo, suffraganeis et capitulo vel quibusvis aliis communiter vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de huiusmodi dignitatibus vel personatibus seu officiis aut aliis

beneficiis ecclesiasticis ad eorum collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam vel totaliter non insertam effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differi et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis. Aut si dictus Ladizlaus presens non fuerit ad prestandum de observandis statutis et consvetudinibus ipsius Strigoniensis vel alterius ecclesie, in qua huiusmodi dignitas vel personatus seu officium forsan fuerit, solitum iuramentum, dummodo in absentia sua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesserit corporaliter illud prestet. Seu si hodie alii vel aliis, super equali vel equalibus gracia seu graciis in eadem ecclesia litteras nostras duxerimus concedendas; Nos enim tam illas quam presentes effectum sortiri volumus quacumque constitutione apostolica contraria non obstante. Aut quod dictus Ladizlaus Zagrabiensis cum prepositura et Quinqueecclesiensis canonicatus et prebendas obtinet ac dudum sibi, ut asseritur, de canonicatu et prebenda Bosnensis ecclesiarum, tunc certo modo vacantibus, auctoritate apostolica gratiose fuit concessum provideri. Volumus autem, quod idem Ladizlaus, quamprimum vigore presentium huiusmodi dignitatem vel personatum seu curatum officium fuerit pacifice assecutus, eandem preposituram, quam ex tunc vacare decernimus, omnino prout etiam ipse Ladizlaus ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur. Et insuper, si dictus Ladizlaus ad hoc repertus fuerit ydoneus, ut prefertur, ex nunc perinde irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, ac si die date presentium huiusmodi dignitatem vel personatum seu officium, si qua vel si quis aut si quod tunc vacabit vel cum vacaret, quam vel quem seu quod idem Ladizlaus ut premittitur acceptaret, conferendam seu conferendum eidem Ladizlao post acceptationem huiusmodi donationi apostolice cum interpositione decreti duxissemus specialiter reservandam vel etiam reservandum. Datum Rome apud Sanctum Petrum, quinto Idus Novembris anno primo.

II.

1389. 9. Novembris.

Johanni Thome Canonicatum in ecclesia Zagrabiensi confert.

(Anni I. Liber VIII. f. 13.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Tudensi et Signiensi Episcopis ac dilecto filio Preposito ecclesie Sancti Spiritus Chasmensis Zagrabiensis diocesis salutem etc. Rationi congruum etc. Dudum siquidem per felicis recordationis Urbanum papam VI. predecessorem nostrum, accepto, quod canonicatus et prebenda ecclesie Zagrabiensis, quos quondam Nicolaus Nicolai ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Nicolai obitum, qui extra Romanam Curiam decesserat, vacaverant et vacabant, tunc prefatus predecessor, volens dilecto filio Johanni Thome clerico Vesprimiensis diocesis, qui, ut asserebatur, de militari genere ex utroque parente procreatus erat, apud eum de nobilitate generis, vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, horum intuitu, gratiam facere specialem, voluit et concessit videlicet XVI. Kalendas Martii Pontificatus sui Anno Decimo eosdem canonicatum, prebendam, quorum fructus, redditus et proventus sexaginta florenorum auri, secundum communem extimationem, valorem annuum, ut idem Johannes asserebat, non excedebant, si, ut premittitur, vacabant, etiam si tanto tempore vacavissent, quod eorum collatio, iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, aut canonicatus et prebenda dispositioni apostolice reservati existerent, dictusque Nicolaus Capellanus sedis eiusdem aut fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum Collector aut Subcollector aut alicuius ex Sancte Romane Ecclesie Cardinalium familiaris fuisset, dummodo tempore datarum dicte, die videlicet XVI. Kalendas Martii non esset in dictis canonicatu et prebende alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Johanni, apostolica auctoritate conferri et etiam assignari. Ne autem pro eo quod super huiusmodi voluntate et concessione dicti predecessoris littere apostolice confecte non fuerint, prefatus Johannes voluntatis et concessionis earumdem frustretur effectu, volentes et apostolica auctoritate decernentes, quod voluntas et concessio predicte, perinde a data dicte diei videlicet XVI. Kalendas Martii suum sortiantur effectum,

ac si super eis dicti precedessoris littere sub ipsius diei data confecte fuissent, prout superius enarratur, quodque presentes littere ad probandum plene voluntatem et concessionem predictas ubique sufficiant nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur; Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam . . . eidem Johanni . . . assignari curetis . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Idus Novembris Anno Primo.

III.

1389. 9. Novembris.

Andream Tonch, quondam Caroli Neapolitani sectatorem, Canonicatu Strigoniensi privari jubet.

(Anni I. Liber VIII. f. 48t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Cantori ecclesie Strigoniensis salutem etc. Rationi congruum etc. Dudum siquidem ad audientiam felicis recordationis Urbani pape VI. predecessoris nostri deducto, quod Andreas dictus Tonch, olim canonicus ecclesie Strigoniensis, quondam Carolo olim Regi Sicilie, etiam post et contra processus, per prefatum predecessorem, contra eundem Carolum ac eius sequaces fautores et adherentes eidem factos et solemniter publicatos, per quos predictum Carolum, velut hereticum et scismaticum, puniendum sententialiter condemnavit, adherere et favere presumpserat, idem predecessor attendens, quod veris existentibus premissis, prefatus Andreas canonicatu et prebenda predicte ecclesie, quos tunc temporis obtinebat, ipso iure privatus extiterat, voluit et concessit videlicet XVII. Kalendas Novembris Pontificatus sui Anno Decimo, certo dari iudici in mandatis, ut vocatis dicto Andrea et aliis, qui forent evocandi, super premissis inquireret auctoritate apostolica diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi inveniret ita esse, prefatum Andream canonicatu et prebenda predictis, eadem auctoritate, sententialiter declararet fuisse et esse privatum, ipsumque amoveret realiter ab eisdem. Ne autem, pro eo, quod super voluntate et concessione huiusmodi littere apostolice confecte non fuerunt, eedem voluntas et concessio debito frustrentur effectu, volentes et apostolica auctoritate decernentes, quod huiusmodi voluntas et concessio perinde a dicta die videlicet XVII. Kalendas Novembris suum sortiantur effectum, ac si super eis prefati predecessoris littere sub ipsius diei data confecte fuissent, ut supe-

rius enarratur, quodque presentes littere ad probandum plene voluntatem et concessionem predictas ubique sufficiant et ad id probationis alterius adminiculum minime requiratur; Discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, vocatis predicto Andrea et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis inquiras, auctoritate prefata, diligentius veritatem, et si, per inquisitionem huiusmodi, reppereris premissa veritate fulciri, eadem auctoritate, sententialiter declares predictum Andream prefatis canonicatu et prebenda fuisse et esse privatum, eundemque amoveas realiter ab eisdem, iuxta voluntatem et concessionem predictas. Contradictores per censuram ecclesiasticam etc. Non obstante, si predicto Andree vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indultu huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Idus Novembris Anno Primo.

IV.

1389. 10. Novembris.

Johanni Dyonisii Canonicatum in ecclesia Zagrabiensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 298.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Dyonisii canonico Zagrabiensi salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi, qui, ut asseritur, presbyter existis, premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Zagrabiensis, cum plenitudine iuris canonici, apostolica tibi auctoritate conferimus, et de illo etiam providemus. Prebendam vero, si qua in dicta ecclesia vacat ad presens, vel cum vacaverit, quam tu, per te, vel procuratorem tuum, ad hoc legitime constitutum, infra unius mensis spatium, postquam tibi, vel eidem procuratori vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandam, conferendam tibi, post acceptationem huiusmodi, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus; districtius inhibentes Venerabili fratri nostro Episcopo et dilectis filiis Capitulo Zagrabiensi, ac illi vel illis, ad quem vel ad quos in eadem ecclesia prebendarum collatio,

provisio, presentatio, vel quevis alia dispositio pertinet communiter vel divisim, ne de dicta prebenda interim, etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eisdem constiterit, quod tu, vel procurator predictus illam nolueritis acceptare, disponere quoquomodo presumant; ac decernentes exnunc irritum et inane, si secus super his, a quoquam, quavis auctoritares scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Non obstantibus de certo canonicorum numero, et quibusvis aliis statutis et consvetudinibus ipsius ecclesie contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis; aut si aliqui, apostolica vel alia quavis auctoritate, in eadem ecclesia in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant; seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus et prebendis in ipsa ecclesia speciales aut aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales Apostolice Sedis vel legatorum eius litteras impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem ac decretum vel alias quomodolibet sit processum; quibus omnibus, preterquam auctoritate nostra in ecclesia ipsa receptis vel prebendas expectantibus in eadem, te in assecutione dicte prebende volumus anteferri; sed nullum per hoc eis quoad assecutionem prebendarum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari; seu si eisdem Episcopo vel Capitulo vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, ab eadem Sede sit indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli non possint, quodque de canonicatibus et prebendis ipsius ecclesie aut aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, dispositionem, coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri per litteras apostolicas, non facientes plenam ac expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem; et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus huiusmodi nostre gratie impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; aut si presens non fueris ad prestandum, de observandis statutis et consvetudinibus ipsius ecclesie, solitum iuramentum, dummodo in absentia tua per procuratorem ydoneum, et cum ad ecclesiam ipsam accesseris, corporaliter illud prestes; seu quod, ut asseritur, super parochiali ecclesia de Insula Woanicz in palatio apostolico litigas, et hodie tibi de canonicatu, sub expectatione prebende, Sancti Spiritus Chasmensis, Zagrabiensis diocesis, per alias nostras litteras, gratiose mandavimus provideri. Nulli ergo etc. nostre collationis, prouisionis, reservationis, institutionis, constitutionis et voluntatis infringere

etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Novembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii Sancte Marie Zagrabiensi et Custodi ecclesie Sancti Spiritus Chasmensis, Zagrabiensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Johannes Dyonisii canonicus Zagrabiensis fidedigno etc. Quocirca Discretioni vestre, per apostolica scripta, mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, eundem Johannem vel procuratorem suum, eius nomine, ex nunc, auctoritate nostra in eadem ecclesia Zagrabiensi recipi facientes in canonicum et in fratrem, stallo sibi in choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie, cum dicti iuris plenitudine, assignetis; prebendam, per nos, ut premittitur, reservatam, si tempore huiusmodi nostre reservationis vacabat vel postea vacabit aut cum vacaverit, eidem Johanni, post acceptationem predictam, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, eadem auctoritate, conferre et assignare curetis. Inducentes ipsum vel dictum procuratorem pro eo in corporalem possessionem prebende, iuriumque et pertinentiarum predictorum, et defendentes inductum sibique facientes de ipsorum canonicatus et prebende fructibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi; non obstantibus omnibus supradictis; seu si eisdem Episcopo et Capitulo vel quibusvuis aliis a prefata sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Contradictores auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo. Datum ut supra.

V.

1389. 10. Novembris.

Davidi Jak Canonicatum in ecclesia Transsilvana confert.

(Anni I. Liber XI. f. 6)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Waradiensi salutem etc. Dignum arbitramur etc. Volentes igitur dilectum filium David Jak, clericum Transilvane diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu,

favore prosequi gratioso, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, ad obtinendum beneficium, canonicatum et prebendam ecclesie Transilvane ydoneum esse reppereris ei de canonicatu eiusdem ecclesie . . . providere procures . . . et si per eandem examinationem dictum David . . . ydoneum ad dignitatem, personatum vel officium esse inveneris . . . prebendam, vel dignitatem, seu personatum, vel officium, cum cura vel sine cura . . . dummodo dignitas huiusmodi in eadem ecclesia maior post pontificalem non fuerit; et si forsan ita esse non inveneris . . . dummodo ipsum alias per dictam examinationem ad obtinendum officium sine cura ydoneum esse inveneris, super quibus tuam conscientiam oneramus, prebendam ac officium sine cura dumtaxat, si que, vel si qui, aut si qua, in dicta ecclesia vacant ad presens vel cum simul aut successive vacaverint, quas, vel quos, seu que idem David . . . infra unius mensis spatium, postquam . . . vacatio illarum vel illorum innotuerit, duxerit acceptandas, aut acceptandos, vel acceptanda, conferendas, vel conferendos, seu conferenda eidem David, post acceptationem huiusmodi donationi tue reserves. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Novembris Anno Primo.

VI.

1389. 12. Novembris.

Gregorio de Raven Canonicatum in ecclesia Zagrabiensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 181.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii beate Marie in Suburbio Zagrabiensi salutem etc. Dignum arbitramur etc. Volentes igitur dilectum filium Gregorium dictum Longum de Raven canonicum Zagrabiensem, apud nos de vite ac morum honestate . . . commendatum, horum intuitu, nec non consideratione dilecti filii nostri Valentini tituli sancte Sabine presbyteri Cardinalis, pro ipso Gregorio nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gratioso, ipsumque in ecclesia Zagrabiensi amplius honorare, Discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus . . . dignitatem, vel personatum, auf officium, cum cura vel sine cura, in eadem, aut aliqua ex collegiatis civitatis vel diocesis Zagrabien-

sis ecclesiis ... conferenda eidem ... donationi tue reserves ... Non obstantibus ... quod dictus Gregorius, ut asseritur, canonicatum et prebendam dicte ecclesie Zagrabiensis noscitur obtinere . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Novembris Pontificatus nostri Anno Primo.

VII.

1389. 12. Novembris.

Jacobo Benedicti beneficium in diœcesi Quinqueecclesiensi confert.

(Anni I. Liber VII. t. 263 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Jacobo Benedicti clerico Quinqueecclesiensis diocesis salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, necnon consideratione dilecti filii nostri tituli sancte Sabine presbyteri Cardinalis, pro te dilecto suo nobis super hoc humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, cuius fructus, redditus et proventus, si cum cura vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti, secundum taxationem decime, valorem annuum non excedant, ad collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem Venerabilis fratris nostri Episcopi et dilectorum filiorum Capituli Quinqueecclesiensis communiter vel divisim pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non existat, si quod vacat ad presens vel cum vacaverit, quod tu . . . infra unius mensis spatium postquam tibi ... vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandum, conferendum tibi post acceptationem huiusmodi . . . donationi apostolice reservamus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Novembris Anno Primo.

Simili modo. Dilectis filiis Cantori Quinqueecclesiensi et de Baranya eiusdem ac de Warasd Zagrabiensis Archidiaconis ecclesiarum. . . . Datum ut supra.

VIII.

1389. 12. Novembris.

Cardinali Valentino, Episcopo Quinqueecclesiensi, Canonicatus et beneficia conferendi facultatem concedit.

(Anni I. Liber VIII. 209. — Koller: Historia Episcopatus Quinqueecclesiensis III. p. 199.)

Bonifacius Episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Valentino tituli sancte Sabine Presbytero Cardinali salutem et apostolicam benedictionem. Personam tuam nobis et Apostolice Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, tibi illam gratiam libenter impendimus, per quam te possis aliis reddere gratiosum. Tuis itaque supplicationibus inclinati, Circumspection tue, qui Ecclesiam Quinqueecclesiensem, ex concessione et dispositione Sedis Apostolice, obtines in commendam, conferendi hac vice dumtaxat, auctoritate apostolica, in maiori Quinqueecclesiensi et in singulis aliis collegiatis civitatis et diocesis Quinqueecclesiensis ecclesiis, duos canonicatus, singulos videlicet ipsorum singulis personis idoneis, quas ad hoc duxeris eligendas, cum plenitudine iuris canonici, et de illis etiam providendi ac faciendi singulas personas ipsas, vel ipsarum procuratores, earum nominibus, in ecclesiis predictis in canonicos recipi et in fratres, stallo eis in choro et loco in capitulo cuiuslibet ipsarum ecclesiarum, cum dicti iuris plenitudine, assignatis; necnon reservandi in singulis ecclesiis predictis pro eisdem duas prebendas ac etiam pro eisdem, vel aliis personis idoneis similiter, per te ad hoc eligendis duas dignitates, etiamsi altera earum in maiori post pontificalem maior, et in singulis collegiatis ecclesiis huiusmodi principalis fuerit, et ad eas consveverint qui per electionem assumi, si que tempore reservationis huiusmodi vacabunt, vel cum simul aut successive vacaverint, quas dicte persone per se, vel procuratores suos, ad hoc legitime constitutos, infra unius mensis spatium, postquam eis vel procuratoribus huiusmodi de vacatione ipsarum constiterit, duxerint acceptandas conferendi, singulas videlicet prebendarum et dignitatum huiusmodi, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, singulis personis eisdem, etiamsi quelibet ipsarum personarum unum, vel duo, aut tria aliud vel alia beneficium seu beneficia ecclesiasticum, vel ecclesiastica obtineat; inhibendi quoque districtius Episcopo Quinqueecclesiensi, qui pro tempore fuerit, et dilectis filiis Capitulis

dictarum ecclesiarum, ac illi, vel illis, ad quem, vel ad quos prebendarum et dignitatum huiusmodi collatio, provisio, presentatio, electio, seu quevis alia dispositio, coniunctim, vel divisim pertinet, ne de prebendis aut dignitatibus huiusmodi interim etiam, ante acceptationem eandem, aut postquam eis constiterit, quod persone, vel procuratores predicti illas voluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant. Et nihilominus singulas prebendas et dignitates huiusmodi, quas reservabis, si tempore huiusmodi reservationis vacabunt, aut cum simul vel successive vacaverint, ut prefertur, cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis, singulis personis prefatis, post acceptationem eandem, eadem authoritate conferendi, et de illis etiam providendi, inducendi quoque per te vel alium, seu alios easdem personas, vel procuratores suos, earum nominibus, in corporalem possessionem prebendarum et dignitatum, iuriumque ac pertinentiarum predictarum, et defendendi inductos ac ipsas personas, vel dictos procuratores, earum nominibus, ad dignitates huiusmodi, ut est moris, admitti, eisque de canonicatuum et prebendarum ac dignitatum huiusmodi fructibus, redditibus, proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi faciendi, contradictores quoque et rebelles per censuram ecclesiasticam etc. Non obstantibus de certo canonicorum numero et quibuscumque aliis statutis et consvetudinibus ecclesiarum prefatarum contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis; aut si aliqui apostolica, vel alia quavis authoritate in eisdem ecclesiis in canonicos sint recepti, vel ut recipiantur insistant, seu si super provisionibus sibi faciendis de canonicatibus ac prebendis et dignitatibus, personatibus vel officiis ipsarum ecclesiarum speciales, vel aliis beneficiis ecclesiasticis in illis partibus generales predicte Sedis, vel legatorum eius litteras impetrarint, etiamsi per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quibus omnibus, preterquam authoritate nostra in ecclesiis ipsis receptis, vel prebendas et dignitates aut personatus vel officia expectantibus in eisdem singulas personas ipsas in assecutione singularum prebendarum et dignitatum huiusmodi volumus anteferri, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem canonicatuum et prebendarum ac dignitatum, personatuum vel officiorum aut beneficiorum aliorum preiudicium generari; seu si eisdem Episcopo et Capitulo, vel quibusvis aliis communiter vel divisim, a dicta sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur, et ad id compelli, aut quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint, quodque de canonicatibus et prebendis ac dignitatibus, perso-

natibus, vel officiis dictarum ecclesiarum, vel aliis beneficiis ecclesiasticis, ad eorum collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem, coniunctim vel separatim spectantibus, nulli valeat provideri, per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et qualibet alia dicte Sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris existat, per quam presentibus non expressam, vel totaliter non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de qua cuiusque toto tenore habenda sit in nostris litteris mentio specialis; aut si dicte persone presentes non fuerint ad prestandum de observandis statutis et consuetudinibus ipsarum ecclesiarum solita iuramenta, dummodo in absentiis earum per procuratores idoneos, et cum ad ecclesias ipsas accesserint, corporaliter illa prestent, plenam et liberam, auctoritate apostolica, tenore presentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod ille ex personis predictis, que beneficia incompatibilia cum aliis, que ipsis contuleris, obtinuerint, quamprimum beneficia, per te illis collata, fuerint pacifice assecute, huiusmodi incompatibilia beneficia, que prius obtinuerint, et que extunc vacare decernimus, omnino dimittere teneantur; quodque electiones predicte de personis predictis per te, ut prefertur, faciende perinde valere et effectum sortiri debeant in omnibus et per omnia, ac si die date presentium per te huiusmodi electiones de personis eisdem facte forent. Et insuper exnunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Volumus etiam, quod de nominibus et cognominibus earundem personarum, quibus canonicatus et prebendas ac dignitates huiusmodi per te conferri contigerit, ut prefertur, ac de diebus collationum huiusmodi, agentes Camere Apostolice, seu collectorem fructuum et proventuum eidem Camere debitorum, in illis partibus pro tempore deputatum, quanto citius certificare procures. Datum Rome apud Sanctum Petrum, Secundo Idus Novembris Anno Primo.

IX.

1389. 12. Novembris.

Stephano Georgii dignitatem in ecclesia Zagrabiensi confert.

(Anni I. Liber XI. f. 5.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Quinqueecclesiensi salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Stephanum Georgii canonicum ecclesie Zagrabiensis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, nec non consideratione dilecti filii nostri Valentini tituli sancte Sabine presbyteri Cardinalis, pro ipso Stephano nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gratioso, ipsumque in eadem ecclesia amplius honorari, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus si per diligentem examinationem dictum Stephanum . . . ydoneum ad obtinendum dignitatem vel personatum seu curatum officium esse reppereris,. . . dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura ipsius ecclesie, dummodo huiusmodi dignitas maior post pontificalem in eadem ecclesia non existat . . .; et si forsan ita esse non inveneris . . . dummodo ipsum alias per eandem examinationem ad obtinendum officium sine cura ydoneum esse reppereris, super quibus tuam conscientiam oneramus, sine cura dumtaxat officium, si qua vel si quis aut si quod vacat ad presens vel cum vacaverit, quam vel quem seu quod dictus Stephanus . . . infra unius mensis spatium, postquam sibi . . . vacatio illius innotuerit, duxerit acceptandam vel acceptandum, conferendam vel conferendum eidem Stephano post acceptationem huiusmodi . . . donationi tue, auctoritate nostra, reserves . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Novembris Anno Primo.

X.

1389. 12. Novembris.

Ladislao Demetrii Canonicatum in ecclesia Colocensi confert.

(Anni I. Liber XI. f. 9 t.):

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Bosnensi salutem etc. Dignum arbitramur etc. Volentes itaque dilectum filium Ladislaum Demetrii clericum Quinqueecclesiensis diocesis, qui, ut asseritur, ex utroque parente de militari genere procreatus existit, apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, nec non consideratione dilecti filii nostri Valentini tituli sancte Sabine presbyteri Cardinalis, pro ipso Ladislao dilecto suo nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gratioso, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus si per diligentem examinationem eundem Ladislaum ad hoc ydoneum esse reppereris, ei de canonicatu ecclesie Colocensis . . . provideas . . .; et si per diligentem examinationem dictum Ladislaum . . . ydoneum ad obtinendum dignitatem vel personatum seu curatum officium fore inveneris . . . prebendam, nec non dignitatem, vel personatum, seu officium, cum cura vel sine cura, dummodo dignitas ipsa in eadem ecclesia maior post pontificalem non existat; et si forsan ita esse non reppereris . . . dummodo ipsum alias per examinationem eandem ad obtinendum prebendam et officium sine cura ydoneum esse reppereris, super quibus tuam conscientiam oneramus, prebendam et officium sine cura dumtaxat, si que vel si qui aut si qua in eadem ecclesia vacant ad presens, vel cum illas vel illos seu illa vacare contigerit, quas vel quos seu que dictus Ladislaus . . . duxerit acceptandas vel acceptandos seu acceptanda, conferendas vel conferendos seu conferenda eidem Ladislao, post acceptationem huiusmodi, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi tue . . . reserves . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Novembris Anno Primo.

XI.

1389. 12. Novembris.

Andreæ Marci dignitatem in ecclesia Quinqueecclesiensi confert.

(Anni I. Liber XI. f 50.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Andree Marci Canonico Quinqueecclesiensi salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, nec non consideratione dilecti filii nostri Valentini tituli sancte Sabine presbyteri Cardinalis, pro te nobis super hoc humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, teque in ecclesia Quinqueecclesiensi amplius honorare, dignitatem vel personatum seu officium cum cura vel sine cura ipsius ecclesie, dummodo ipsa dignitas maior post pontificalem in eadem ecclesia non existat, si qua vel si quis aut si quod vacat ad presens vel cum vacaverit, quam vel quem seu quod tu . . . infra unius mensis spatium, postquam tibi . . . vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandam vel acceptandum, conferendam seu conferendum tibi post acceptationem huiusmodi . . . donationi apostolice reservamus . . . Non obstantibus . . . quod canonicatum et prebendam dicte ecclesie ac altare sine cura sancte Dorothee situm in Capella beate Marie Virginis Castri Quinqueecclesiensis nosceris obtinere. Volumus autem, quod quamprimum vigore presentium huiusmodi dignitatem vel personatum seu officium fueris pacifice assecutus, dictum altare, quod ut prefertur obtines, et quod ex tunc vacare decernimus, omnino, prout ad id te sponte obtulisti, dimittere tenearis . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Novembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii Pechwaradiensis Quinqueecclesiensis diocesis ac Archidiacono de Barania in ecclesia Quinqueecclesiensi . . . Datum ut supra.

XII.

1389. 12. Novembris.

Demetrio Dominici Canonicatum in ecclesia Bosnensi confert.

(Anni I. Liber XII. f. 177 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati monasterii sancte Trinitatis de Sanctatrinitate Quinqueecclesiensis diocesis Salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Demetrium Dominici clericum Quinqueecclesiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, nec non consideratione dilecti filii nostri Valentini tituli sancte Sabine presbyteri Cardinalis, pro ipso Demetrio dilecto suo, nobis humiliter supplicantis, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus si per diligentem examinationem eundem Demetrium ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu ecclesie Boznensis . . . provideas. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Novembris Anno Primo.

XIII.

1389. 12. Novembris.

Blasio Nicolai Canonicatum in ecclesia b. Marie V. Albæregalis confert.

(Anni I. Liber XII. f. 204 t.).

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Quinqueecclesiensis salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Blasium Nicolai clericum Quinqueecclesiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis ac virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, nec non consideratione dilecti filii nostri Valentini tituli sancte Sabine presbyteri Cardinalis, pro ipso Blasio nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gratioso, discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Blasium ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu

ecclesie beate Marie Alberegalis Vesprimiensis diocesis . . . provideas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Novembris Anno Quinto.

XIV.

1389. 12. Novembris.

Michaeli Pauli Canonicatum in ecclesia Agriensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 13 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Michaeli Pauli Canonico Agriensi salutem et apostolicam benedictionem. Nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi, qui, ut asseris, ex utroque parente de Baronum genere procreatus, et in artibus Bacallarius existis, premissorum meritorum tuorum intuitu, nec non consideratione dilecti filii nostri Valentini tituli sancte Sabine presbyteri Cardinalis, nobis super hoc humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Agriensis . . . tibi conferimus . . . prebendam vero nec non dignitatem vel personatum seu officium, cum cura vel sine cura, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem ecclesia non existat, si que, vel si qui, aut si qua in dicta ecclesia vacant ad presens vel cum vacaverint quas, vel quos, seu que . . . infra unius mensis spatium, postquam tibi . . . vacatio illarum vel illorum innotuerit, duxeris acceptandas, vel acceptandos, seu acceptanda, conferendas, vel conferendos seu conferenda tibi post acceptationem huiusmodi . . . donationi apostolice reservamus . . . Non obstantibus . . . quod, ut asseritur, canonicatum et prebendam ac Custodiam ecclesie Boznensis nosceris obtinere. Volumus autem quod, quamprimum vigore presentium canonicatum et prebendam aut dignitatem vel personatum seu officium huiusmodi fueris pacifice assecutus, dictam custodiam, quam ut prefertur obtines, et quam ex tunc vacare decernimus omnino, prout ad id te sponte obtulisti, dimittere tenearis . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Novembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tornacensi et dilectis filiis Preposito Quinqueecclesiensis ac lectori Boznensis ecclesiarum . . . Datum ut supra.

XV.

1389. 12. Novembris.

Nicolao Laurentii Canonicatum in ecclesia Quinqueecclesiensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 19.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao Laurentii canonico Quinqueecclesiensi salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, nec non consideratione dilecti filii nostri Angeli sancte Lucie in Septemsoliis diaconi Cardinalis, pro te nobis super hoc humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Quinqueecclesiensis... tibi... conferimus... Non obstantibus,... quod, ut asseris, canonicatum et prebendam ac Cantoriam, que dignitas est, in ecclesia Bosnensi, nosceris obtinere. Volumus autem, quod quamprimum, vigore presentium, dignitatem vel personatum aut officium cum cura huiusmodi fueris pacifice assecutus, dictam Cantoriam, quam ut premittitur obtines, quamque extunc vacare decernimus, omnino dimittere tenearis . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Novembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Lectori ac Custodi ecclesie Boznensis . . . Datum ut supra.

XVI.

1389. 12. Novembris.

Nicolao Johannis Canonicatum in ecclesia Zagrabiensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 49.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Quinqueecclesiensis salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Nicolaum Johannis clericum Quinqueecclesiensem, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, nec non consideratione dilecti filii nostri Valentini tituli sancte Sabine presbyteri Cardinalis, pro ipso Nicolao dilecto suo nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . .

mandamus quatenus . . . eidem Nicolao de canonicatu ecclesie Zagrabiensis . . . provideas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Novembris Pontificatus nostri Anno Primo.

XVII.

1389. 13. Novembris.

Henrico Papen de Oyta Canonicatum in ecclesia Transsilvana confert.

(Anni I. Liber —. f. 363 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Henrico Papen de Oyta canonico Transilvanensi, Magistro in artibus salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Transilvanensis . . . conferimus . . . Prebendam vero ac dignitatem, vel personatum, seu officium, cum cura vel sine cura, ad collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem Venerabilis fratris nostri Episcopi Transilvanensis pertinentes, seu pertinentia, cuius quidem dignitatis, vel personatus, seu officii curati fructus, redditus et proventus, viginti quinque, si vero huiusmodi officium sine cura fuerit decem et octo marcharum argenti, secundum communem taxationem decime, valorem annuum non excedant, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem vel principalis in collegiata ecclesiis non existat, si que, vel si qui, aut si qua in dicta ecclesia vacant ad presens, vel cum vacaverint, quas, vel quos, seu que tu. . . . infra unius mensis spatium, postquam tibi . . . vacatio illarum, vel illorum innotuerit, duxeris acceptandas, vel acceptandos, seu acceptanda, conferendas vel conferendos seu conferenda tibi post acceptationem hujusmodi . . . donationi apostolice reservamus . . . Non obstantibus . . . quod, ut asseritur, canonicatum et prebendam in beate Marie in Castro Waradiensi ac altare sancti Johannis Ewangeliste situm in maiori Waradiensi ecclesiis obtines, nec non super Osnabrugensi, in qua maiores et minores prebende existunt, cum maiori, et super predicte Waradiensis ecclesiarum canonicatibus et prebendis in palatio apostolico nosceris litigari *(sic)*. Volumus autem, prout id sponte voluisti, quod quamprimum, vigore presentium, canonicatum et prebendam dicte ecclesie Transilvane, aut dignitatem, vel personatum, seu officium hujusmodi fueris pacifice asseccutus, canonicatum et preben-

dam ecclesie Osnabrugensis, super quibus, ut prefertur, litigas, si eos interim evincas et assequaris, quos extunc vacare decernimus, omnino dimittere tenearis . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Novembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabilibus fratribus Tudensi et Waradiensi episcopis ac dilecto filio Archidiacono Transilvano . . . Datum ut supra.

XVIII.

1389. 13. Novembris.

Johanni Laurentii Canonicatum in ecclesia Waradiensi confert.

(Anni I. Liber VI. f. 187.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Colocensi salutem etc. Dignum arbitramur etc. Volentes itaque dilectum filium Johannem Laurentii canonicum ecclesie Colocensis . . . favore prosequi gratioso, Discrecioni tue . . . mandamus, quatenus ei de canonicatu ecclesie Waradiensis . . . provideas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Novembris Anno Primo.

XIX.

1389. 13. Novembris.

Nicolao Jacobi Canonicatum in ecclesia Agriensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 11 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao Jacobi canonico Agriensi, Magistro in artibus salutem etc. Nobilitas generis, litterarum scientia, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi, qui, ut asseris, de nobili genere ex utroque parente procreatus existis, et Wienne Pataviensis diocesis studes, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere spe-

cialem, canonicatum ecclesie Agriensis . . . tibi conferimus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Novembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tornacensi et dilectis filiis Lectori et Cantori ecclesie Boznensis . . . Datum ut supra.

XX.

1389. 13. Novembris.

Andreæ Nicolai de Parlag Canonicatum in ecclesia Waradiensi confert.

(Anni I. Liber VI. f. 200.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Volentes igitur dilectum filium Andream Nicolai de Parlag Archidiaconum de Zaghalm in ecclesia Waradiensi apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, nec non consideratione carissime in Christo filie nostre Marie Regine Ungarie Illustris, pro ipso Andrea, fideli Capellano suo, nobis super hoc humiliter supplicante, favore prosequi gratioso Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Andream ad hoc reppereris ydoneum, ei de canonicatu ecclesie predicte . . . provideas . . . et si per examinationem huiusmodi eundem Andream . . . ydoneum ad obtinendum beneficium dignitatem vel personatum seu officium fore inveneris . . . prebendam eiusdem et dignitatem, vel personatum, seu officium ipsius, vel alicuius Collegiate ecclesiarum civitatis vel diocesis Waradiensis, etiamsi dignitas ipsa curata et maior post pontificalem aut in Collegiata ecclesiis huiusmodi principalis fuerit . . . et si forsan ita esse non inveneris . . . dummodo ipsum alias per examinationem eandem ad obtinendum prebendam et officium sine cura ydoneum esse inveneris . . . prebendam et officium sine cura duntaxat, si que, vel si qui, aut si qua vacant ad presens, vel cum vacaverint, quas, vel quos, seu que idem Andreas . . . infra unius mensis spatium, postquam sibi . . . vacatio illarum, vel illorum innotuerit, duxerit acceptandas, vel acceptandos, seu acceptanda conferendas, vel conferendos, seu conferenda, eidem Andree . . . donationi tue eadem auctoritate reserves . . . Non obstantibus . . . quod idem Andreas, ut asseritur, in predicta Waradiensi Archidiaconatum de Zaghalm obtinet, et super aliis canonicatu et prebenda

eiusdem Waradiensis ecclesie in palatio apostolico noscitur litigare. Volumus autem, quod idem Andreas, quamprimum, vigore presentium, canonicatum et prebendam, si eos sibi per te conferri contigerit, ut prefertur, canonicatum et prebendam, super quibus litigat, si eos interim evincat et assequatur, cum vero dignitatis vel personatus seu officii huiusmodi fuerit possessionem pacificam assecutus, Archidiaconatum predictos, quos extunc vacare decernimus, omnino, prout ad id etiam se sponte obtulit, dimittere teneatur . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Novembris Anno Primo.

XXI.

1389. 14. Novembris.

Ladislao Jacobi de Rakadag Canonicatum in ecclesia Quinqueecclesiensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 189.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie beate Marie Alberegalis Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Ladislaum Jacobi de Rakadag clericum Quinqueecclesiensis diocesis, qui, ut asseritur, de nobili genere procreatus existit, apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus si per diligentem examinationem dictum Ladislaum ad obtinendum canonicatum et prebendam ecclesie Quinqueecclesiensis ydoneum reppereris, de canonicatu ecclesie predicte . . . providere procures . . . Et si per examinationem dictum Ladislaum . . . ad obtinendum prebendam et dignitatem . . . ydoneum esse inveneris . . . prebendam nec non dignitatem . . . cum cura vel sine cura . . . dummodo dignitas maior post pontificalem non existat; et si forsan ita esse non reppereris prebendam et officium sine cura dumtaxat, si qua vel si qui vel quod in eadem ecclesia vacant vel cum simul aut successive vacaverint . . . eidem Ladislao . . . conferendam vel conferendum . . . donationi tue . . . reserves . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimooctavo Kalendas Decembris Anno Primo.

XXII.

1389. 14. Novembris.

Andreæ Georgii de Walko Canonicatum in ecclesia Csanadiensi confert.

(Anni I Liber —. f. 356.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Andree Georgii de Walko canonico Cenadiensi salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Cenadiensis . . . conferimus . . . Non obstantibus, . . . quod, ut asseris, canonicatum et prebendam ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis Vesprimiensis diocesis, super quibus in palatio apostolico litigas, et quorum fructus, redditus et proventus quinquaginta florenorum auri, secundum communem extimationem, valorem annuum non excedunt, ac Capellam beate Marie Virginis Cenadiensis nosceris obtinere. Volumus autem, quod quamprimum, vigore presentium, prebendam, nec non dignitatem, vel personatum, seu officium huiusmodi fueris pacifice assecutus, Capellam, quam, ut prefertur, obtines, et quam ex tunc vacare decernimus, omnino, prout ad id etiam te sponte obtulisti, dimittere tenearis . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimo octavo Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii beate Marie Virginis ac Preposito ecclesie beati Georgii martyris Cenadiensis . . . Datum ut supra.

XXIII.

1389. 14. Novembris.

Gregorio Lucæ dignitatem in Colocensi vel Bosnensi ecclesia confert.

(Anni I. Libee —. f. 287.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Gregorio Luce canonico Boznensi salutem etc. Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam

facere specialem, . . . teque in Boznensi vel Colocensi ecclesiis amplius honorare, dignitatem, vel personatum, seu officium, etiamsi dignitas ipsa curata existat et ad eam quis consveverit per electionem assumi, dummodo dignitas huiusmodi in aliqua ipsarum ecclesiarum maior post pontificalem non existat, si qua, vel si quis, aut si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, quam, vel quem, seu quod tu . . . infra unius mensis spatium, postquam tibi . . . vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandam, vel acceptandum, conferendam vel conferendum tibi, post acceptationem huiusmodi, . . . donationi apostolice reservamus. . . . Non obstantibus . . . quod in Boznensi et Colocensi ecclesiis predictis canonicatus et prebendas, quorum omnium fructus, redditus et proventas quinquaginta florenorum auri, . . . valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, nosceris obtinere. Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimo octavo Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Patriarche Gradensi, et dilectis filiis Preposito et Scolastico ecclesie beati Petri de Posegha Quinqueecclesiensis diocesis . . . Datum ut supra.

XXIV.

1389. 14. Novembris.

Stephano Georgii de Füred Canonicatum in ecclesia b. Mariæ V. Albaeregalis confert.

(Anni I. Liber XII. f. 181.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Jauriensi salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Stephanum Georgii de Fyred clericum Vesprimiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis ac virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Stephanum ad hoc ydoneum repperetis, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu ecclesie beate Marie Alberegalis dicte diocesis . . . provideas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimo octavo Kalendas Decembris Anno Primo.

XXV.

1389. 14. Novembris.

Johanni de Harsan Canonicatum in ecclesia b. Mariæ V. Albaeregalis confert.

(Anni I. Liber XII. f. 194 b.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati monasterii sancti Aniani de Tichonio Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Johannem dictum de Harsan presbyterum Colocensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Johannem ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu ecclesie beate Marie Alberegalis Vesprimiensis diocesis, *que Romane ecclesie immediate subiecta existit* . . . provideas . . . Non obstantibus . . . quod superdicto Johanni de Boznensis et Vesprimiensis ecclesiarum cum dignitate, personatu, vel officio canonicatibus, sub expectationibus prebendarum, gratiose concessimus provideri. Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimooctavo Kalendas Decembris Anno Primo.

XXVI.

1389. 14. Novembris.

Stephano Galli de Arnad Canonicatum in ecclesia b. Petri de Veteribuda confert.

(Anni I. Liber XIII. f. 6.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Galli de Arnad canonico ecclesie sancti Petri de Veteribuda Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Volentes itaque, tibi premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie sancti Petri de Veteribuda Vesprimiensis diocesis . . . tibi conferimus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimo octavo Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Monopolitano et dilectis filiis Preposito ecclesie Omnium Sanctorum in Castro Vesprimiensi ac Custodi Alberegalis Vesprimiensis diocesis ecclesiarum. . . . Datum ut supra.

XXVII.

1389. 14. Novembris.

Andreæ Nicolai Canonicatum in ecclesia Jauriensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 120.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Andree Nicolai canonico Jauriensi salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, qui presbyter es, premissorum meritorum intuitu, gratiam facere specialem, teque in ecclesia Jauriensi amplius honorare, Canonicatum ecclesie Jauriensis . . . tibi conferimus . . . Non obstantibus . . . quod, ut asseris, altare sancti Briccii Confessoris, situm in eadem ecclesia, quod sine cura est, nosceris obtinere. Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimooctavo Kalendas Decembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tornacensi et dilectis filiis Preposito sancti Adalberti Jauriensis ac Cantori Albensis Vesprimiensis diocesis ecclesiarum. . . . Datum ut supra.

XXVIII.

1389. 14. Novembris.

Jacobo Nicolai de Zala Canonicatum in ecclesia Jauriensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 16.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati monasterii sancti Martini de Sacromonte Pannonie Jauriensis diocesis salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Jacobum Nicolai de Zala clericum Vesprimiensis diocesis . . . favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Jacobum, ad obtinendum canonicatum et prebendam ecclesie Jauriensis, ydoneum esse reppereris, eidem canonicatum ecclesie predicte . . . providere procures, . . . et si per examinationem hujusmodi dictum Jacobum . . . ydoneum ad obtinendum dignitatem, personatum vel officium fore inveneris . . . prebendam vero, nec non dignitatem, personatum vel officium ipsius ecclesie, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem ecclesia non existat; et si forsan ita

esse non reppereris, . . . dummodo ipsum alias, per eandem examinationem, ad obtinendum prebendam et officium sine cura ydoneum esse inveneris, . . . prebendam et officium sine cura dumtaxat, si que, aut si qui, vel si qua in dicta ecclesia vacat, seu vacant ad presens, vel cum illas, vel illos, seu illa simul vel successive vacare contigerit, quas vel quos seu que dictus Jacobus . . . infra unius mensis spatium, postquam sibi . . . vacatio illius, vel illorum innotuerit, duxerit acceptandas, vel acceptandos, seu acceptanda, conferendas, vel conferendos, seu conferenda eidem Jacobo, post acceptationem hujusmodi . . . donationi tue . . . reserves. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimooctavo Kalendas Decembris Anno Primo.

XXIX.

1389. 16. Novembris.

Stephano Pauli Canonicatum in ecclesia Agriensi confert.

(Anni I Liber --. f. 290.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Pauli canonico Agriensi salutem etc. Volentes itaque tibi, qui in diaconatus ordine constitutus, et, ut asseritur, Baccallarius in artibus existis, premissorum meritorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Agriensis . . . tibi conferimus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimosexto Kalendas Decembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Preposito ac Archidiacono de Heves ecclesie Agriensis. . . . Datum ut supra.

XXX.

1389. 16. Novembris.

Gregorio Valentini de Tur Canonicatum in ecclesia b. Mariæ V. Albaeregalis confert.

(Anni I. Liber VI, f. 48.)

Bonifatius etc. Dilecto filio Abbati monasterii sancti Aniani de Tichonio Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium

Gregorium Valentini de Twr presbyterum Vesprimiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem, dictum Gregorium ad hoc ydoneum esse reppereris . . . ei de canonicatu ecclesie beate Marie Alberegalis dicte diocesis . . . provideas. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimosexto Kalendas Decembris Anno Primo.

XXXI.

1389. 16. Novembris.

Petro Nicolai de Chemend Canonicatum in ecclesia b. Mariæ V. Albaeregalis confert.

(Anni I. Liber VI f. 164.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Petro Nicolai de Chemend canonico beate Marie Alberegalis Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum beate Marie Alberegalis Vesprimiensis diocesis . . . conferimus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimo sexto Kalendas Decembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati monasterii S. Egidii de Sumugyvar Vesprimiensis diocesis ac Preposito ecclesie Omnium sanctorum Vesprimiensis. . . . Datum ut supra.

XXXII.

1389. 16. Novembris.

Andreæ Bartholomæi dignitatem in ecclesia Transsilvana confert.

(Anni I. Liber XI. f. 36.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii beate Marie Virginis de Colusmonostora Strigoniensis diocesis salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Andream Bartholomei presbyterum Transsilvane diocesis . . . favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per

diligentem examinationem . . . ydoneum ad obtinendum dignitatem, vel personatum aut officium ecclesie Transsilvane fore inveneris, . . . dignitatem, vel personatum ipsius ecclesie, etiam si dignitas ipsa curam habet animarum, . . . dummodo dignitas ipsa in eadem ecclesia maior post pontificalem non existat; et si forsan ita non reppereris . . . dummodo ipsum . . . ad obtinendum in ipsa ecclesia officium sine cura ydoneum esse reppereris, super quibus tuam conscientiam oneramus, officium sine cura dumtaxat, si qua, vel si qui, aut si quod, in eadem ecclesia vacat ad presens, vel cum vacaverit, quam, vel quem, seu quod dictus Andreas . . . infra unius mensis spatium postquam sibi . . . vacatio illius innotuerit, duxerit acceptandam, vel acceptandum, conferendam vel conferendum eidem Andree . . . donationi tue . . . reserves . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimo sexto Kalendas Decembris Anno Primo.

XXXIII.

1389. 16. Novembris.

Dominico Johannis dignitatem in ecclesia Vesprimiensi confert.

(Anni I. Liber XI. f. 60 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati monasterii sancti Aniani de Thihonio Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Dominicum Johannis clericum Vesprimiensem, qui, ut asseritur, de nobili genere procreatus existit, apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate, aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinacionem, dictum Dominicum . . . ydoneum ad obtinendum dignitatem, vel personatum esse reppereris . . . dignitatem vel personatum, dummodo dignitas ipsa in Vesprimiensi maior post pontificalem et in Collegiata ecclesiis principalis non existat; et si forsan ita esse non inveneris, . . . dummodo ipsum alias ad obtinendum officium sine cura ydoneum esse reppereris, super quibus tuam conscientiam oneramus, officium sine cura dumtaxat, si qua, vel si quis, aut si quod in eadem Vesprimiensi vel aliqua ex Collegiatis ecclesiis civitatis vel diocesis Vesprimiensis vacat ad presens, vel cum vacaverit, quam vel quem seu quod dictus Dominicus . . . infra unius mensis spatium, postquam sibi . . .

vacatio illius innotuerit, duxerit acceptandam, vel acceptandum, conferendam vel conferendum dicto Dominico . . . donationi tue . . . reserves. . . . Non obstantibus . . . quod nuper eidem de canonicatibus sub expectationibus prebendarum predicte Vesprimiensis et beate Marie Virginis Albe-regalis Vesprimensis diocesis ecclesiarum per alias diversas nostras literas gratiose mandavimus provideri . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimo sexto Kalendas Decembris Anno Primo.

XXXIV.

1389. 16. Novembris.

Johanni Nicolai Canonicatum in ecclesia Waradiensi confert.

(Anni I. Liber XV. f 93t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Nicolai Canonico Waradiensi salutem etc . . . Volentes itaque tibi, qui presbyter es, premissorum meritorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Waradiensis . . . tibi conferimus. . . . Non obstantibus, . . . quod parochialem ecclesiam de Deva, Transilvane diocesis, nosceris obtinere, et nuper tibi de canonicatu et prebenda ecclesie Transilvane, super quibus, ut asseritur, in palatio Apostolico litigas, et de Archidiaconatu de Clus in eadem ecclesia, qui dignitas est, et per cuius assecutionem dictam parrochialem ecclesiam teneris dimittere, tunc certo modo vacantibus, per alias nostras litteras gratiose mandavimus provideri. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sextodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

Simili modo. Dilectis filiis sancti Stephani de promontorio et beate Marie Virginis minoris ecclesie de Castro Waradiensi Prepositis ac Decano Nigropontensis ecclesiarum. . . . Datum ut supra.

XXXV.

1389. 17. Novembris.

Petro Nicolai Canonicatum in ecclesia b. Mariæ V. Albaeregalis confert.

(Anni I. Liber XII. f. 239.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Petro Nicolai canonico ecclesie beate Marie Alberegalis Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie beate Marie Alberegalis Vesprimiensis diocesis . . . tibi conferimus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoquinto Kalendas Decembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri . . . Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Aniani de Tichonio Vesprimiensis diocesis ac Preposito ecclesie Vesprimiensis. . . . Datum ut supra.

XXXVI.

1389. 17. Novembris.

Mauritio Mauritii Canonicatum in ecclesia Waradiensi confert.

(Anni I. Liber XIII. f. 137 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie beate Marie Alberegalis Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Mauritium Mauritii clericum Waradiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Mauritium ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu ecclesie Waradiensis . . . provideas. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

XXXVII.

1389. 17. Novembris.

Gregorio Nicolai Canonicatum in ecclesia Zagrabiensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 113 t)

Bonifacius etc. Dilecto filio Gregorio Nicolai canonico Zagrabiensi salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, qui presbyter es, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, tibi canonicatum ecclesie Zagrabiensis . . . conferimus. . . . Non obstantibus . . . quod, ut asseris, super parochiali ecclesia sancti Michaelis de Kemnik Zagrabiensis diocesis in palatio apostolico nosceris litigare. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

Eodem modo. Venerabili fratri Episcopo Segobiensi et dilecto filio Abbati Zagrabiensi. . . . Datum ut supra.

XXXVIII.

1389. 19. Novembris.

Clementi Nicolai Canonicatum in ecclesia Waciensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 184.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Clementi Nicolai canonico Waciensi salutem ete. . . . Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Waciensis conferimus. . . . Datum Rome apud sanctum Petrum Decimooctavo Kalendas Decembris. Pontificatus Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et de Veteribuda et de Demes Vesprimiensis et Strigoniensis diocesis per Prepositos solitorum gubernari Monasteriorum Prepositis. . . . Datum ut supra.

XXXIX.

1389. 19. Novembris.

Paulo Ladislai de Besenyő Canonicatum in ecclesia b. Mariæ V. Albaeregalis confert.

(Anni I. Liber XV. f. 129.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Paulum Ladislai de Bessenie clericum Vesprimiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis, apud nos multipliciter commendatum . . . favore prosequi gratioso, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus si, per diligentem examinationem, dictum Paulum ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu ecclesie Alberegalis . . . provideas. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertiodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

XL.

1389. 20. Novembris.

Nicolao Johannis de Suján dignitatem in ecclesia Waciensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 73.)

Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Nicolaum dilecti filii Johannis de Suian natum, Canonicum Waciensem, qui, ut asseritur, Baccalarius in artibus existit . . . pro quo etiam Venerabilis frater noster Petrus Episcopus Waciensis, asserens ipsum Nicolaum dilectum nepotem suum, nobis super hoc humiliter supplicavit, favore prosequi gratioso, ipsumque in eadem ecclesia amplius honorare, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Nicolaum ydoneum esse reppereris, dignitatem, vel personatum, seu officium, cum cura vel sine cura, ecclesie Waciensis ... dummodo dignitas principalis in eadem ecclesia non existat; et si forte ita esse non inveneris, . . . dummodo ipsum . . . ad obtinendum officium sine cura ydoneum esse reppereris . . . officium sine cura

duntaxat, si qua, vel si quis, aut si quod in dicta ecclesia vacat ad presens, vel cum vacaverit, . . . conferendam vel conferendum eidem Nicolao . . . donationi tue . . . reserves. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

XLI.

1389. 20. Novembris.

Silvestro Silvestri dignitatem in ecclesia Quinqueecclesiensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 182.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Officiali Strigoniensi salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Silvestrum Silvestri canonicum ecclesie Quinqueecclesiensis . . . in eadem ecclesia amplius honorare, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinacionem dictum Silvestrum . . . ydoneum reppereris, dignitatem, vel personatum, seu officium, cum cura, vel sine cura ecclesie Quinqueecclesiensis, . . . dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem ecclesia non existat; et si forsan ita esse non reppereris, . . . dummodo ipsum . . . ad obtinendum officium sine cura ydoneum esse reppereris, officium sine cura duntaxat, . . . conferendam vel conferendum eidem Nicolao . . . donationi tue . . . reserves . . . Non obstantibus . . . quod dictus Silvester canonicatum ac prebendam in dicta ecclesia noscitur obtinere . . . Datum apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

XLII.

1389. 20. Novembris.

Petro Emerici Canonicatum in ecclesia Agriensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 192.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Officiali Strigoniensi salutem etc. . . . Volentes dilectum filium Petrum Emerici canonicum Strigoniensem, qui presbyter est, . . . favore prosequi gratioso, Discretioni tue mandamus, quatenus, si per

diligentem examinationem, dictum Petrum ad obtinendum canonicatum et prebendam ecclesie Agriensis ydoneum esse reppereris, . . . eidem de canonicatu providere procures . . . et si . . . dictum Petrum . . . ydoneum esse reppereris . . . prebendam, nec non dignitatem, vel personatum, seu officium, etiamsi dignitas ipsa curata fuerit . . . dummodo maior post pontificalem non existat; et si forsan ita esse non reppereris, . . . dummodo ipsum ad obtinendum officium sine cura ydoneum esse reppereris, . . . officium sine cura duntaxat . . . conferendam vel conferendum eidem Petro . . . donationi tue reserves . . . Non obstantibus, . . . quod dictus Petrus canonicatum et prebendam ecclesie Strigoniensis ac plebanatum plebis de Sancto Petro Agriensis diocesis noscitur obtinere. Volumus autem, quod ipse Petrus, quamprimum, presentium vigore, dignitatem, aut personatum huiusmodi fuerit pacifice assecutus, dictum plebanatum, quem, ut prefertur, obtinet, quemque extunc vacare decernimus, omnino, prout etiam ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

XLIII.

1389. 20. Novembris.

Petro Ladislai Canonicatum in ecclesia Agriensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 361.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Petro Ladislai canonico ecclesie Agriensis salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Agriensis . . . tibi conferimus . . . Prebendam vero, nec non dignitatem vel personatum seu officium. cum cura vel sine cura, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem ecclesia non existat, si que, vel si qui, aut si qua in dicta ecclesia vacant ad presens, vel cum illas, vel illos, seu illa vacare contigerit, quas, vel quos, seu que tu . . . infra unius mensis spatium, postquam tibi . . . vacatio illarum, vel illorum innotuerit duxeris acceptandas, vel acceptandos, seu acceptanda, conferendas, vel conferendos, seu conferenda tibi post acceptationem hujusmodi, donationi apostolice reservamus. Non obstantibus . . . quod plebanatum plebis de Sarini Strigoniensis diocesis nosceris obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum, vigore

presentium, dignitatem, vel personatum seu officium curatum fueris pacifice assecutus, predictum plebanatum, quem, ut prefertur, obtines, et quem extunc vacare decernimus, omnino dimittere tenearis. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancte Marie Triumfontium de Beel ac Preposito ecclesie sancte Crucis de Leles Agriensis diocesis. . . . Datum ut supra.

XLIV.

1389. 20. Novembris.

Michaeli Nicolai Canonicatum in ecclesia s. Petri de Veteribuda confert.

(Anni I. Liber VI. f. 53.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Michaeli Nicolai canonico ecclesie sancti Petri de Veteribuda Vesprimiensis diocesis salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, qui presbyter es, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie sancti Petri de Veteribuda Vesprimiensis diocesis . . . tibi conferimus. Non obstantibus . . . quod, ut asseris, Magistratum altaris sancte Helene siti in ecclesia Waciensi nosceris obtinere . . . Datum Rome apud sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Preposito Waciensi et Custodi sancti Petri de Veteribuda Vesprimiensis diocesis. . . . Datum ut supra.

XLV.

1389. 20. Novembris.

Ottoni de Hohenfels Canonicatum in ecclesia Quinqueecclesiensi confert.

(Anni I. Liber VI. f. 154.)

Dilecto filio Preposito ecclesie Quinqueecclesiensis salutem etc . . . Volentes itaque dilectum filium Ottonem de Hohenfels clericum Ratisponensis diocesis, apud nos de vite et morum honestate aliisque probitatis

et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem eundem Ottonem ad hoc ydoneum esse reppereris, . . . eidem Ottoni de canonicatu ecclesie Quinqueecclesiensis . . . provideas. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

XLVI.

1389. 20. Novembris.

Michaeli Laurentii Canonicatum in ecclesia Agriensi confert.

(Anni I. Liber — f. 360.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Michaeli Laurentii Canonico Agriensi salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Agriensis . . . tibi conferimus . . . Non obstantibus . . . quod, ut asseris, canonicacum et prebendam ac Archidiaconatum Pestiensem in ecclesia Waciensi nosceris obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presentium, aliquam dignitatem fueris pacifice assecutus, Archidiaconatum predictum, quem, ut prefertur, obtines, et quem extunc vacare decernimus, omnino, prout ad id sponte te obtulisti, dimittere tenearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Preposito ecclesie Waciensi ac Archidiacono de Borsod in ecclesia Agriensi . . . Datum ut supra.

XLVII.

1389. 20. Novembris.

Nicolao Jacobi de Tornalja Canonicatum in ecclesia Strigoniensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 196.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Waciensi salutem etc. . . . Volentes dilectum igitur filium Nicolaum Jacobi de Tornalia, clericum Strigoniensis diocesis, qui, ut asseritur, de nobili genere ex utroque parente procreatus existit, apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate aliisque probitatis meritis multipliciter commendatum, favore prosequi gratioso, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Nicolaum ad obtinendum canonicatum et prebendam ecclesie Strigoniensis ydoneum esse reppereris eidem Nicolao de canonicatu ecclesie predicte providere procures . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

XLVIII.

1389. 20. Novembris.

Paulo Johannis Canonicatum in ecclesia s. Michaelis Arch. de Castroferreo confert.

(Anni I. Liber VI. f. 243.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Jauriensis salutem etc. Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas, nec non dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, tunc apud Sedem Apostolicam vacantia, et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ac custodia ecclesie sancti Michaelis Archangeli de Castroferreo, Jauriensis diocesis, quos quondam Valentinus Nicolai ipsius ecclesie canonicus et Custos, dum viveret, obtinebat, per ipsius Valentini obitum, qui apud dictam Sedem decessit, apud Sedem ipsam vacaverint et

vacare noscantur ad presens, nos volentes dilectum filium Paulum Johannis, clericum Strigoniensis diocesis, apud nos, de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si Custodia ipsa dignitas sit, et per diligentem examinationem dictum Paulum . . . ydoneum esse reppereris, canonicatum et prebendam ac Custodiam predictos, etiamsi Custodia ipsa dignitas, ad quam quis per electionem assumatur, existat; et si forsan ita esse non inveneris et dicta Custodia dignitas non sit, dictusque Paulus non bene cantet . . . dummodo ipsum alias . . . ad obtinendum canonicatum et prebendam ydoneum esse reppereris, . . . canonicatum et prebendam, . . . quorum fructus . . . quinquaginta florenorum auri, secundum comunem extimationem, valorem annuum non excedunt, . . . etiamsi canonicatus et prebenda ac Custodia predicti alias dispositioni apostolice specialiter reservate existant, dummodo Custodia ipsa dignitas principalis in eadem ecclesia aut curata non sit . . . eidem Paulo . . . conferas. Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Primo.

XLIX.

1389. 20. Novembris.

Ladislao Stephani Canonicatum in ecclesia Waradiensi confert.

(Anni I. Liber XI. f. 22t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Ladislao Stephani canonico ecclesie Waradiensis salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, nec non consideratione Venerabilis fratris nostri Johannis Episcopi Waradiensis pro te, dilecto suo Capellano, nobis super hoc humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Waradiensis . . . tibi auctoritate apostolica conferimus . . . Non obstantibus quod, ut asseritur, parochialem ecclesiam sancti Demetrii in Pispiki, Waradiensis diocesis, obtines, et quod tibi de canonicatu et prebenda ac Prepositura ecclesie sancti Irenei, Sirmiensis diocesis, tunc certo modo vacantibus, fuit tibi apostolica auctoritate provisum, quorum possessionem nondum es adeptus. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presentium dignitatem, vel personatum huiusmodi fueris pacifice assecutus, paro-

chialem ecclesiam, quam, ut prefertur, obtines, et quam extunc vacare decernimus, ac Preposituram predictas, si eam interim assequeris, dimittere . . . tenearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii ville sancti Johannis, Waradiensis diocesis, ac Preposito Monasterii sancti Stephani de promontorio Waradiensi. ... Datum ut supra.

L.

1389. 20. Novembris.

Johanni Nicolai Canonicatum in ecclesia Jauriensi confert.

(Anni I. Liber XII. f. 59.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie sancti Michaelis Archangeli de Hanta, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Johannem Nicolai rectorem, magistrum nuncupatum, altaris sancti Ladislai siti in ecclesia Jauriensi, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, pro quo etiam venerabilis frater noster Johannes Episcopus Jauriensis, pro ipso Johanne Nicolai *(sic)* nobis super hoc humiliter supplicavit, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Johannem Nicolai ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de Canonicatu dicte ecclesie . . . provideas. Non obstantibus, . . . quod prefatus Johannes Nicolai dictum altare, quod sine cura est, noscitur obtinere. Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Primo.

LI.

1389. 20. Novembris.

Andreæ Kun Canonicatum in ecclesia Tituliensi confert.

(Anni I. Liber XII. f. 174.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancte Marie Cenadiensi salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Andream Kwn, clericum Cenadiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Andream ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, eidem de canonicatu ecclesie sancte Sapientie Titulensis Colocensis diocesis . . . provideas. Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

LII.

1389. 20. Novembris.

Egidio Michaelis de Kővágó-Örs Canonicatum in ecclesia b. Mariæ V. Albaeregalis confert.

(Anni I. Liber XII. f. 195 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancti Aniani de Thiconio, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Egidium Michælis de Kuvagowrs, clericum Vesprimiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Egidium ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, eidem Egidio de canonicatu ecclesie beate Marie Alberegalis, dicte diocesis, *que Romane ecclesie immediate subiecta existit*, . . . providere procures. Non obstantibus . . . quod nuper dicto Egidio, ut asseritur, de canonicatu, sub expectatione prebende ac dignita-

tis, personatus, vel officii ecclesie Vesprimiensis gratiose concessimus provideri. Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

LIII.

1389. 20. Novembris.

Georgio Johannis de Fajsz Canonicatum in ecclesia Waciensi confert.

(Anni I. Liber XII. f. 232 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Georgium Johannis de Fayz, clericum Vesprimiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis ac virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem, dictum Georgium ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu ecclesie Waciensis . . . provideas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Primo.

LIV.

1389. 20. Novembris.

Ladislao Bartholomæi de Ferraria Canonicatum in ecclesia Zagrabiensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 25.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Archidiacono de Kemluk in ecclesia Zagrabiensi salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Ladislaum Bartholomei de Ferraria, clericum Vesprimiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Ladislaum

ad hoc ydoneam esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu ecclesie Zagrabiensis . . . provideas. Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

LV.

1389. 20. Novembris.

Mathiæ Nicolai Canonicatum in ecclesia Bacsiensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 46 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Mathie Nicolai canonico Bachiensi salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Bachiensis . . . tibi conferimus. . . . Non obstantibus . . . quod, ut asseris, parochialem ecclesiam sancte Andree de Ujfalu, Colocensis diocesis, nosceris obtinere . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tornacensi et dilectis filiis Preposito ac Cantori ecclesie Bachiensis. Datum ut supra.

LVI.

1389. 18. Novembris.

Johanni Episcopo Bosnensi facultatem Canonicatus conferendi et beneficia reservandi concedit.

(Anni I. Liber XVI. l. 215 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Johanni, Episcopo Boznensi, salutem etc. Personam tuam nobis et Apostolice Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benivolentia prosequentes, illam tibi gratiam libenter impendimus, per quam te possis aliis reddere gratiosum. Volentes igitur tuam honorare personam, et per honorem tibi exhibitum aliis provideri, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, Fraternitati tue, provideri hac vice dumtaxat, auctoritate apostolica, tribus personis ydoneis, quas ad hoc duxeris eligendas, earum videlicet singulis de canonicatu ecclesie tue

Boznensis, cum plenitudine iuris canonici, ac faciendi quamlibet personarum ipsarum vel procuratores earum, ipsarum nominibus, auctoritate predicta, in ipsa ecclesia in canonicos recipi et in fratres, stallo eis in Choro et loco in Capitulo ipsius ecclesie, cum dicti iuris plenitudine, assignatis, reservandi quoque auctoritate predicta donationi tue in ipsa ecclesia, pro singulis personis eisdem singulas prebendas, nec non totidem dignitates, dummodo aliqua hujusmodi dignitatum maior post pontificalem non existat, si que tempore huiusmodi reservationis vacabant, quas dicte persone per se, vel procuratores earum ad hoc legitime constitutos, infra unius mensis spatium, postquam personis vel procuratoribus predictis de ipsarum prebendarum et dignitatum vacatione constiterit, duxerint acceptandas, conferendas personis eisdem, post acceptationem hujusmodi, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, ac inhibendi successoribus tuis Episcopis, qui erunt pro tempore, et dilectis filiis Capitulo Boznensi, ac illi vel illis, ad quem, vel ad quos, in eadem ecclesia prebendarum ac dignitatum collatio, provisio, presentatio, seu quevis alia dispositio, communiter vel divisim, pertinet, ne de dictis prebendis ac dignitatibus interim, etiam ante acceptationem eandem, nisi postquam eis constiterit, quod persone, vel procuratores predicti illas noluerint acceptare, disponere quoquomodo presumant; nec non conferendi personis eisdem prebendas ac dignitates hujusmodi, si que in eadem ecclesia vacabunt, ut prefertur, cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis, post acceptationem eandem, ac providendi etiam de illis ac inducendi, per se vel alium, seu alios, personas easdem vel procuratores earum pro eis in corporalem possessionem prebendarum et dignitatum ac iurium et pertinentiarum predictorum et defendendi inductas, ipsisque personis faciendi de dictorum canonicatuum et prebendarum dignitatum fructibus, redditibus proventibus, iuribus et obventionibus universis integre responderi plenam et liberam tenore presentium eoncedimus facultatem, Volumus autem, quod de nominibus personarum, quibus huiusmodi canonicatus per te conferri, ac pro quibus prebendas ac dignitates reservari contigerit, ac de die collationis et reservationis hujusmodi Cameram nostram, seu Collectorem fructuum et proventuum eidem Camere debitorum, in illis partibus deputatum, certificare procures. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quartodecimo Kalendas Decembris Anno Primo.

LVII.

1389. 13. Novembris.

Egidio Martini de Szekeres beneficium in diœcesi Waradiensi confert.

(Anni I. Liber VII. f. 28.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii de Colosmonostor, Transilvane diocesis, salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Egidium Martini de Zekeres, clericum Transilvane diocesis, qui, ut asserit, Vienne, Pataviensis diocesis, studet, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Egidium . . . ydoneum ad obtinendum curatum beneficium fore reppereris, . . . cum cura vel sine cura, et si forsan ita esse non inveneris . . . dummodo ipsum alias, per diligentem examinationem, ad obtinendum beneficium sine cura ydoneum esse reppereris, super quibus tuam conscientiam oneramus, sine cura dumtaxat beneficium ecclesiasticum, cuius fructus redditus, et proventus, si cum cura, vigintiquinque, si vero sine cura fuerit decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, ad collationem . . . Episcopi Waradiensis pertinens, . . . si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, quod ipse Egidius . . . infra unius mensis spatium, postquam sibi . . . vacatio illius innotuerit, duxerit acceptandum, conferendum eidem Egidio, post acceptacionem huiusmodi . . . donationi tue auctoritate nostra reserves . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoseptimo Kalendas Decembris Anno Primo.

LVIII.

1389. 25. Novembris.

Fidelibus ecclesiam de Gyada Waciensis dioecesis visitantibus indulgentias concedit.

(Anni I. Liber XV. I. 176 t.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. Licet etc. Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia sanctorum

Martyrum Cosme et Damiani de Gyada, Waciensis diocesis, congruis honoribus frequentetur, et etiam conservetur, et ut Christi fideles eo libentius, causa devotionis, confluant ad eandem, et ad huiusmodi conservationem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos; de omnipotentis Dei misericordia, et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo dictorum Martyrum, prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad huiusmodi conservationem manus porrexerint adiutrices, duos annos de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem, quod si alias, ipsam ecclesiam visitantibus, aut ad eius fabricam seu reparationem manus porrigentibus adiutrices, aut inibi pias elemosinas erogantibus, seu alias, aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum, duratura per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Decembris Anno Primo.

LIX.

1389. 1. Decembris.

Stephano Michaeli dignitatem in ecclesia Jauriensi confert.

(Anni I. Liber XIII. f. 190 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Michaelis canonico Jauriensi salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum intuitu, gratiam facere specialem, teque in ecclesia Jauriensi amplius honorari, dignitatem vel personatum vel officium, cum cura vel sine cura, eiusdem, vel alicuius Collegiatarum civitatis et diocesis Jauriensis ecclesiarum, etiamsi huiusmodi dignitas in Jaurensi maior post pontificalem, vel in Collegiata ecclesiis predictis principalis fuerit, et ad eam consveverit quis per electionem assumi, si qua, aut si quis, vel si quod vacat ad presens vel cum vacaverit, quam vel quem seu quod . . . infra unius mensis spatium, postquam tibi . . . vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandam vel acceptandum, conferendam, seu conferendum tibi post acceptationem huiusmodi, . . . reservamus. . . . Non obstantibus . . . quod, ut asseris, canonicatum et prebendam obtines, nec non super Archidiaconatu Luchmaniensi, in predicta Jauriensi

ecclesia, in palatio apostolico nosceris litigare. Volumus autem, quod quamprimum, vigore presentium, huiusmodi dignitatem vel personatum seu officium fueris pacifice assecutus, predictum Archidiaconatum, super quo, ut prefertur, litigas, et quem extunc vacare decernimus, prout ad id etiam te sponte obtulisti, si ipsum interim evincas, omnino dimittere, alioquin omni iuri tibi in eo seu ad ipsum quomodolibet competenti cedere tenearis . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendas Decembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Archiepiscopo Barensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Martini Sacrimontis Pannonie Jauriensis, diocesis, ac Cantori ecclesie Quinqueecclesiensis . . . Datum ut supra.

LX.

1389. 5. Decembris.

Johanni Benedicti Sartoris Canonicatum in ecclesia Csanadiensi confert.

(Anni I. Liber Xtl. f. 175.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Benedicti Sartoris canonico Cenadiensi salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Cenadiensis . . . tibi . . . conferimus . . . prebendam vero, ad collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem Venerabilis fratris nostri Episcopi Cenadiensis et dilectorum filiorum Prepositi et Capituli dicte ecclesie communiter pertinentem, cuius fructus, redditus et proventus decem et octo marcharum argenti, secundum taxationem decime, valorem annuum non excedunt, si qua in ipsa ecclesia vacat ad presens, vel cum vacaverit, quam tu . . . infra unius mensis spatium, postquam tibi . . . vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandam, conferendam tibi post acceptationem hujusmodi . . . donationi apostolice reservamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Decembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri . . . Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii beate Marie Virginis ac Preposito ecclesie sancti Salvatoris Cenadiensis . . . Datum ut supra.

LXI.

1389. 5. Decembris.

Nicolao Nicolai Koncz Canonicatum in ecclesia S. Martini de Scepus confert.

(Anni I. Liber XIII. f. 82 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Waciensi salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Nicolaum Nicolai dictum Kontz, presbyterum Strigoniensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis ac virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Nicolaum ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu ecclesie sancti Martini de Scepus dicte diocesis . . . provideas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Decembris Anno Primo.

LXII.

1389. 6. Decembris.

Johanni Garázda Archidiaconatum in ecclesia Quinqueecclesiensi confert.

(Anni I. Liber XI. f. 104.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Quinqueecclesiensis salutem etc. . . . Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus papa VI. predecessor noster omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, quorumcunque, per assecucionem pacificam dignitatum, personatuum vel officiorum, aut beneficiorum aliorum ecclesiasticorum quorumlibet, per eum, seu auctoritate litterarum suarum, tunc collatorum et inantea conferendorum eisdem, tunc vacantia et imposterum vacatura, collationi et dispositioni sue reservans, decrevit ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingeret attemptari. Et deinde prefatus predecessor dilecto filio Nicolao Martini Cantori ecclesie Quinqueecclesiensi de Cantoratu eiusdem ecclesie,

tunc certo modo vacante, per suas certi tenoris litteras mandavit provideri; volens inter cetera, quod idem Nicolaus, quamprimum, vigore dictarum litterarum, Cantoratum huiusmodi foret pacifice assecutus, archidiaconatum de Reghun in ecclesia predicta, quem dictus Nicolaus tunc temporis obtinebat, et quem idem predecessor ex tunc vacare decrevit, omnino dimittere teneretur, prout in ipsis litteris plenius continetur. Postmodum vero, dicto archidiaconatu ex eo vacante, quod prefatus Nicolaus Cantoratum predictum, huiusmodi litterarum vigore, sibi collatum, dicto predecessore vivente, extitit pacifice assecutus, dictoque predecessore per eum de eodem Archidiaconatu aliter non disposito, sicut Domino placuit, sublato de medio, nos, divina favente clementia, ad apicem summi apostolatus assumpti, cum a nonnullis revocaretur in dubium, an aliquis preter Romanum Pontificem, post predicti predecessoris obitum, de dignitatibus, personatibus, et officiis aliisque beneficiis ecclesiasticis, per ipsum predecessorem dispositioni sue reservatis, et tempore obitus eiusdem predecessoris vacantibus, disponere potuisset, sive posset; ad huiusmodi ambiguitatis tollendum dubium, per nostras litteras declaravimus: dignitates, personatus, officia et alia beneficia huiusmodi, que tempore obitus eiusdem predecessoris sic reservata vacabant, remansisse et remanere per huiusmodi reservationem et decretum affectam *(sic)*, nullumque de illis preter Romanum Pontificem ea vice potuisse sive posse disponere quoquo modo; ac decrevimus irritum et inane, quicquid in contrarium super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attemptatum forsan erat tunc, vel imposterum contingeret attemptari. Cum itaque dictus archidiaconatus adhuc, ut prefertur, vacare noscatur, nullusque de illo preter Romanum Pontificem hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione, declaratione et decretis obsistentibus supradictis; nos volentes dilectum filium Johannem dictum Gharasda canonicum ecclesie predicte . . . in prefata ecclesia amplius honorare, Discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus si per diligentem examinationem . . . ad obtinendum archidiaconatum predictum ydoneum esse reppereris, . . . archidiaconatum predictum, qui curatus et dignitas, non tamen maior post pontificalem in eadem ecclesia existit, et ad quem quis per electionem non assumitur, cuiusque fructus, redditus et proventus quadraginta florenorum auri, secundum comunem extimationem, valorem annuum, ut ipse Johannes asserit, non excedunt, sic vacantem . . . Johanni . . . conferas . . . Non obstantibus, . . . quod idem Johannes, ut asserit, canonicatum et prebendam memorate ecclesie, quorum fructus, redditus et proven-

tus quinquaginta florenorum auri, secundum extimationem predictam, valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Octavo Idus Decembris Anno Primo.

LXIII.

1389. 12. Decembris.

Nicolao Barlæ de Nadasd Canonicatum in ecclesia Csanadiensi confert.

(Anni I. Liber XII. l. 178 t.)

Bonifacius ete. Dilecto filio Abbati Monasterii beate Marie Cenadiensis salutem etc. . . . Volentes itaque Nicolaum Barlc de Nadasd, clericum Cenadiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Nicolaum ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu ecclesie Cenadiensis . . . provideas. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Decembris Anno Primo.

LXIV.

1389. 23. Decembris.

Ladislao Alberti facultatem concedit, ut litterarum studio in Universitate insistendo, fructus beneficii sui percipere valeat.

(Anni I. Liber —. f. 344.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Ladislao Alberti, Rectori parochialis ecclesie in Antiquazolio, Strigoniensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos commendaris, nos inducunt, ut ea tibi favorabiliter concedamus, que tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Tuis itaque supplicationibus inclinati, tibi auctoritate presentium indulgemus, ut litterarum studio in loco, ubi illud vigeat generale, insistendo, fructus, redditus et proventus parochialis ecclesie in Antiquazolio, Strigo-

niensis diocesis, quam obtines, usque ad septennium, a data presentium computandum, libere et licite percipere valeas, cum qua illos perciperes, si in ecclesia predicta personaliter resideres, et ad residendum interim in eadem minime tenearis, nec ad id invitus a quoquam valeas coarctari. Non obstantibus quibuscumque apostolicis et per legatos Apostolice Sedis, aut in provincialibus vel synodalibus conciliis editis constitutionibus seu, si venerabili fratri nostro Archiepiscopo Strigoniensi ab eadem sit Sede concessum, vel interim concedi contingat, quod personas ecclesiarum suarum civitatis et diocesis, per subtractionem proventuum suorum ecclesiasticorum, aut alias, compellere valeat ad residendum personaliter in eisdem; aut si eidem Archiepiscopo, vel quibusvis aliis, communiter vel divisim, a prefata sede indultum existat, vel imposterum concedi contingat, quod personis earumdem ecclesiarum non residentibus in eisdem fructus, redditus et proventus beneficiorum suorum ecclesiasticorum ministrare minime teneantur, et ad id compelli non possint per litteras apostolicas, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis, generalibus vel specialibus, quorumcumque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differi, et de quibus quorumque totis tenoribus debeat in nostris litteris fieri mentio specialis. Proviso, quod parochialis ecclesia huiusmodi debitis interim non fraudetur obsequiis, et animarum cura in ea nullatenus negligatur, sed per bonum et sufficientem Vicarium, cui de ipsius parochialis ecclesie proventibus necessaria congrue ministrentur, exerceatur et deserviatur laudabiliter in divinis. Volumus autem, quod, ut si alias tibi, fructus, redditus et proventus dicte parochialis ecclesie huiusmodi litterarum studio insistendo, vel alias percipere posses ad certum tempus, etiam iam vel nondum elapsum, a Sede predicta vel auctoritate ordinaria fuerit concessum, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimo Kalendas Januarii Anno duodecimo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Concordiensi et dilectis filiis Abbati Monasterii Scotorum in Vienna ac Preposito ecclesie de Demesio Pataviensis et Strigoniensis diocesis. . . . Datum ut supra.

LXV.

1390. 12. Januarii.

Johanni Jacobi Præposituram ecclesiæ Transilvanæ confert.

(Anni I. Liber —. f. 317.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Tudensi et Waradiensi ac Cenadiensi Episcopis calutem etc. . . . Nobilitas generis, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis merita super quibus apud nos dilectus filius Johannes Jacobi, clericus Agriensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur gratia liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis petitio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ac prepositura ecclesie Transsilvane, quos quondam Ladislaus dictus Carho (?) ipsius ecclesie canonicus et Prepositus, dum viveret obtinebat, per ipsius Ladislai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus, dictus Johannes, vigore quarumdam litterarum felicis recordationis Urbani pape VI. predecessoris nostri, per quas idem predecessor sibi de canonicatu, sub expectatione prebende, ac dignitatis vel personatus, seu officii ipsius ecclesie, etiam si dignitas ipsa curata et in eadem ecclesia maior post pontificalem existeret, et ad eam consvevisset quis per electionem assumi, gratiose provideri mandaverat, canonicatum et prebendam ac preposituram predictos, dicto predecessore vivente, infra tempus legitimum, acceptavit, et de illis sibi provideri fecit, idemque Johannes, huiusmodi acceptationis et provisionis vigore, in corporalem possessionem ipsorum canonicatus et prebende ac prepositure inductus, illos ex tunc per annum et ultra tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus Johannes dubitet acceptationem et provisionem predictas excertis causis viribus non subsistere, (ac) sicut accepimus, canonicatus et prebenda ac prepositura predicti adhuc, ut prefertur, vacare noscantur; Nos, volentes dicto Johanni, qui, ut asseritur, ex utroque parente de nobili genere procreatus existit, premissorum meritorum suorum intuitu, gratiam facere specialem, Fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo aut unus vestrum, per vos, vel alium, seu alios, canonicatum et prebendam ac preposituram predictos, quorum fructus, redditus et proventus centum et quin-

quaginta marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, si, ut premittitur, vacant, . . . dummodo tempore date presentium non sit in eisdem canonicatu et prebenda ac prepositura alicui specialiter ius quesitum . . . eidem conferre et assignare curetis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Januarii Anno primo.

LXVI.

1390. 17. Januarii.

Jacobo Blasii de Lichlo Canonicatum in ecclesia Agriensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 96 b.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Waradiensi salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Jacobum Blasii de Lichlo, clericum Agriensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem, eundem Jacobum ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, eidem Jacobo de canonicatu ecclesie Agriensis . . . provideas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sextodecimo Kalendas Februarii Anno primo.

LXVII.

1390. 29. Januarii.

Fidelibus visitantibus ecclesiam monasterii monialium Vesprimiensis indulgentias concedit.

(Tabularium Regnicolare Hungariæ. Num. 7559.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus . . . salutem etc. Cupientes igitur, ut ecclesia Monasterii monialium beate Marie Virginis Vesprimiensis, Cisterciensis ordinis, a Christi fidelibus . . . . congruis honoribus frequentetur . . . omnibus vere penitentibus . . ., qui in Nativitatis, Assumptionis, Purificationis, Conceptionis et Annuntiationis beate Marie Virginis festivitatibus eandem ecclesiam devote visitaverint, annuatim singulis vide-

licet festivitatum duos annos et quadraginta dies de iniunctis penitenciis misericorditer relaxamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Kalendas Februarii Pontificatus nostri anno primo.

LXVIII.

1390. 13. Februarii.

Fidelibus ecclesiam de Babócsa, Wesprimiensis diœcesis, visitantibus indulgentias concedit.

(Anni I. Liber VIII. f. 23 t.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. Licet is etc. Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia sancti Egidii de villa Babocha, Wesprimiensis diocesis, congruis honoribus frequentetur, et etiam conservetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et ad huiusmodi conservationem manus promptius porrigant adiutrices, quo ex hoc ibidem dono celestis gratie uberius conspexerint se refectos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo ipsius sancti Egidii ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim, et ad conservationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, duos annos et totidem Quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem, quod si alias ipsam Ecclesiam visitantibus, aut ad eius fabricam, seu reparationem manus porrigentibus adiutrices, aut inibi pias elemosinas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgentia, in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum, duratura, per nos concessa fuerit, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Februarii Pontificatus nostri Anno Primo.

LXIX.

1390. 4. Martii.

Jacobo Nicolai Canonicatum in ecclesia Jauriensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 137.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancti Martini de monte sancti Martini, Jauriensis diocesis, salutem etc. . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Jacobi Nicolai, Rectoris altaris sancti Spiritus siti in ecclesia Jauriensi, petitio continebat, quod olim Canonicatu et prebenda dicte ecclesie, quos quondam Ginho de Pohy ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Ginhonis obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacantibus, Venerabilis frater noster Johannes Episcopus Jauriensis eosdem canonicatum et prebendam eidem Jacobo, auctoritate ordinaria, contulit et providit etiam de eisdem, dictusque Jacobus eosdem canonicatum et prebendam, huiusmodi collationis et provisionis vigore, extunc pacifice assecutus ipsosque extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus Jacobus dubitet collationem et provisionem predictas, ex certis causis, viribus non subsistere, et, sicut accepimus, predicti canonicatus et prebenda adhuc, ut prefertur, vacare noscantur, Nos volentes dictum Jacobum, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si, post diligentem examinationem, dictum Jacobum ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, dictos canonicatum et prebendam, quorum fructus, proventus et redditus quadraginta florenorum auri, secundum communem extimationem, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, si, ut premittitur, vacant, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, iuxta Lateranensis statuta concilii, ad sedem predictam legitime devoluta, dictusque Ginho Sedis Apostolicæ Capellanus aut fructuum et proventuum Camere Apostolice debitorum Collector vel Succollector, seu alicuius ex Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus familiaris, dictique canonicatus et prebenda dispositioni Sedis Apostolice specialiter reservati fuerint, dummodo tempore date presentium non sit in eis alicui

specialiter ius quesitum . . . eidem Jacobo . . . assignare procures. Non obstantibus, . . . quod ipse Jacobus, ut asseritur, altare predictum, cuius fructus, redditus et proventus quindecim florenorum auri, secundum extimationem predictam, valorem annuum non excedunt, ac Succustodiam alias Subtesaurariam dicte Ecclesie canonice noscitur obtinere. Volumus autem, quod predictus Jacobus, quamprimum, vigore presentium, dictos canonicatum et prebendam fuerit pacifice assecutus, Succustodiam, quam, ut prefertur, obtinet, quamque extunc vacare decernimus, omnino, prout ipse Jacobus ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Martii Anno primo.

LXX.

1390. 4. Martii.

acobo Johannis Canonicatum in ecclesia Tituliensi confert.

(Anni I. Liber VI. f. 45.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Cantori ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Jacobum Johannis, Rectorem altaris sancti Blasii siti in ecclesia Jauriensi, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Jacobum ad hoc ydoneum esse reppereris, . . . ei de Canonicatu ecclesie sancte Sapientie Titulensis, Colocensis diocesis, . . . providere procures . . . Non obstantibus . . ., quod idem Jacobus altare predictum, cuius fructus, redditus et proventus viginti florenorum auri secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Jacobus asserit, non excedunt, obtinet. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Martii Pontificatus nostri Anno Primo.

LXXI.

1390. 4. Martii.

Stephano Nicolai Fabri Canonicatum in ecclesia b. Mariæ Virginis de Albaregali confert.

(Anni I. Liber VI. f. 103.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Nicolai Fabri de Jauria canonico ecclesie beate Marie virginis Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, calutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, . . . tibi conferimus. . . . Non obstantibus, . . . quod, ut asseris, parochialem ecclesiam sancti Gothardi Jauriensis diocesis, cuius fructus, redditus et proventus duodecim florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, obtines, et nos nuper tibi de canonicatu, sub expectatione prebende, ecclesie Jauriensis gratiose per alias nostras litteras mandavimus provideri. Datum Rome apud SanctumPetrum Quarto Nonas Martii Pontificatus nostri Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Martini Sacrimontis Pannonie, Jauriensis diocesis, ac Preposito ecclesie Jauriensis. . . . Datum ut supra.

LXXII.

1390. 5. Aprilis.

Johanni Nicolai Canonicatum in ecclesia Waciensi confert.

(Anni I. Liber VI. f. 104.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Nicolai Canonico Waciensi salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Vaciensis . . . tibi conferimus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonas Aprilis Anno Primo.

Simili modo. Dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Georgii de Mangiatoth, Waciensis diocesis, et Preposito ac Custodi ecclesie Waciensis. . . . Datum ut supra.

LXXIII.

1390. 15. Aprilis.

Michaeli Detrek Canonicatum in ecclesia Vesprimiensi confert.

(Anni I. Liber XIII. f. 204.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, Salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Michaelem Detrech canonicum ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Michaelem ad hoc ydoneum esse reppereris, eidem de canonicatu ecclesie Vesprimiensis . . . provideas . . . et, si per examinationem eandem, dictum Michaelem . . . ydoneum ad obtinendum dignitatem, personatum vel officium esse reppereris . . . prebendam nec non dignitatem, personatum vel officium ipsius ecclesie Vesprimiensis, cum cura vel sine cura, dummodo dignitas ipsa in eadem ecclesia maior post pontificalem non fuerit; et si forsan ita esse non inveneris . . . dummodo ipsum alias post eandem examinationem ad hoc ydoneum esse reppereris, super quibus tuam conscientiam oneramus, prebendam ac officium sine cura dumtaxat, si que vel si qui aut si qua in predicta Vesprimiensi ecclesia vacant ad presens, seu cum simul aut successive vacaverint, quas vel quos aut que idem Michael . . . infra unius mensis spatium, postquam sibi . . . vacatio illarum vel illorum innotuerit, duxerit acceptandas vel acceptandos seu acceptanda, conferendas vel conferendos seu conferenda eidem Michaeli post acceptationem huiusmodi donationi tue . . . reserves . . . Non obstantibus, . . . quod dictus Michael, ut asserit, canonicatum et prebendam dicte ecclesie beate Marie Virginis Albaregalis noscitur obtinere. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoseptimo Kalendas Maii Anno Primo.

LXXV.

1390. 19. Aprilis.

Andreæ Nicolai de Pél Canonicatum in ecclesia Nitriensi confert.

(Anni I. Liber XI. f. 8.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Officiali Strigoniensi salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Andream Nicolai de Peel, clericum Strigoniensis diocesis, qui, ut asseritur, de militari genere procreatus existit, apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, nec non consideratione Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis Ungarie Illustris, pro ipso Andrea dilecto suo super hoc nobis humiliter supplicantis, favore prosequi gracioso, Discretioni tue ... mandamus, quatenus si per diligentem examinationem dictum Andream ad obtinendum canonicatum et prebendam ecclesie Nitriensis ydoneum esse reppereris, ei de canonicatu eiusdem ecclesie . . . provideas . . .; et, si per huiusmodi examinationem dictum Andream . . . ydoneum ad obtinendum dignitatem vel personatum seu officium fore inveneris, . . . prebendam nec non dignitatem vel personatum seu officium, etiam si huiusmodi dignitas curata fuerit, et ad eam consveverit quis per electionem assumi, dummodo dignitas ipsa in eadem ecclesia maior post pontificalem non existat; et si forte ita esse non inveneris, . . . dummodo ipsum alias pers diligentem examinationem, ad obtinendum prebendam et officium ydoneum esse inveneris, super quibus tuam conscientiam oneramus, prebendam et officium dumtaxat, si que vel si qui aut si qua in dicta ecclesia vacant ad presens, aut cum illas vel illos seu illa vacare contigerit, quas vel quos seu que dictus Andreas . . . infra unius mensis spatium, postquam sibi vel eiusdem procuratori vacatio illorum innotuerit, duxerit acceptandas vel acceptandos seu acceptanda, conferendas vel conferendos seu conferenda dicto Andree post acceptationem huiusmodi . . . donationi tue auctoritate nostra reserves . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoquarto Kalendas Junii Anno Primo.

LXXV.

1390. 30. Maii.

Benedicto Ponye Canonicatum in ecclesia Waradiensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 50.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Officiali Quinqueecclesiensi salutem. etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Benedictum Ponye *(sic)* canonicum ecclesie Quinqueecclesiensis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, eundem Benedictum ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, eidem Benedicto de canonicatu ecclesie Waradiensis . . . provideas . . . Non obstantibus, . . . quod idem Benedictus, ut asserit, canonicatum et prebendam cum archidiaconatu de Marchia in predicta ecclesia Quinqueecclesiensi noscitur obtinere. Volumus autem, quod idem Benedictus, prout id sponte voluit, quamprimum vigore presentium canonicatum et prebendam ecclesie Waradiensis fuerit pacifice assecutus archidiaconatum predictum, quam, ut prefertur, obtinet, et quam extunc vacare decernimus, omnino dimittere teneatur. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Kalendas Junii Pontificatus nostri Anno Primo.

LXXVI.

1390. 3. Junii.

Bartholomæo de Barbato Præposituram ecclesiæ Colocensi confert.

(Anni I. Liber XI. f. 71.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Barensi et dilectis filiis Scolastico et Cantori ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Grata dilecti filii Magistri Bartholomei de Barbato Archidiaconi Beneventani, Scriptoris et familiaris nostri, familiaritatis et devotionis obsequia, que nobis et Apostolice Sedi hactenus impendit, et adhuc

sollicitis impendere studiis non desistit, nec non vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus personam suam, tam familiari experientia, quam fidedignorum testimoniis, iuvari percepimus, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ac prepositura ecclesie Colocensis ex eo vacaverint et vacent ad presens, quod dilectus filius Nicolaus Michaelis ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini professor, tunc secularis clericus existens, et dictos Canonicatum et prebendam ac preposituram obtinens, ordinem ipsum ingressus in eo professionem regularem emisit, Nos volentes eidem Bartholomeo, qui etiam Acolitus et Cubicularius noster ac litterarum apostolicarum Abbreviator existit, premissorum intuitu, gratiam facere specialem, Discrecioni tue . . . mandamus, quatenus vos . . . dictos canonicatum et prebendam ac preposituram, quorum fructus, redditus et proventus octvaginta marcharum argenti puri, secundum communem extimationem, valorem annum, ut ipse Bartholomeus asserit, non excedunt, eidem Bartholomeo . . . conferre et assignare curetis . . . Non obstantibus, . . . quod idem Bartholomeus, ut asserit, archidiaconatum ecclesie Beneventane, cuius centum et viginti, nec non archipresbiteratum sancti Georgii de Castro Ayrole, Sancteagathe diocesis, ecclesiarum, cuius centum florenorum auri fructus redditus et proventus, secundum extimationem predictam, valorem annuum, non excedunt, canonice noscitur obtinere. Nos enim cum prefato Bartholomeo, ut preposituram predictam, si illam sibi presentium tenore conferri contingat, recipere et unacum archidiaconatu et archipresbiteratu huiusmodi, que dignitates sunt, retinere libere et licite valeat, dispensamus, proviso, quod prepositura, archidiaconatus et archipresbiteratus huiusmodi debitis non fraudentur obsequiis et animarum cura, si qua illis imminet, nullatenus negligatur. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Nonas Junii Anno Primo.

LXXVII.

1390. 8. Junii.

Laurentium Dominici de Terebes in Capellanorum Pontificiorum numerum recipit.

(Regestr. Bullarum. Vol. 312. f. 211.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Laurentio Dominici de Terebes, canonico ecclesie Waradiensis, Capellano nostro salutem etc. Virtutibus

clarens et meritis, sicut fame laudabilis testimonio commendaris, illam in nostro et Apostolice Sedis conspectu gratiam meruisti, quod personam tuam paterna benivolentia prosequamur et eam libenter attollamus honoris gracia spetialis. Ut itaque in effectu percipias, quod suggerit nostre mentis affectus, te in nostrum et dicte Sedis Capellanum gratiose recipimus, ac nostrorum et ipsius Sedis Capellanorum consortio favorabiliter aggregamus, intendentes, quod per hoc favoris apostolici presidia plenius sortiaris. Sic igitur de bono in melius studiis virtutum intendas, quod merito ad faciendam tibi pleniorem gratiam invitemur. Nulli igitur alicui hominum liceat hanc paginam nostre receptionis et aggregationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctum Petrum VI. Idus Junii Pontificatus nostri Anno Primo.

N. de Piperno.

LXXVIII.

1390. 8. Junii.

Johanni Jacobi de Scepus Præposituram Scepusiensis, vel Albaregalensis, vel Tituliensis ecclesiæ confert.

(Anni I. Liber —. f. 79.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Jacobi de Sippus canonico ecclesie Albensis, Transsilvane diocesis, decretorum Doctori, salutem . . . Literarum scientia ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, in sancti Martini Sipsiensis una et in sancte Marie Alberegalis alia ac in sancte Sapientie Titulensis, Strigoniensis, Vesprimiensis et Colocensis, ecclesiis alia prepositure ad *presentationem Regis Ungarie, qui est pro tempore, tam ex privilegio Sedis Apostolice speciali, quam etiam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertinentes* esse noscuntur, Nos volentes tibi premissorum meritorum intuitu, nec non consideratione Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis et Carissime in Christo filie nostre Marie Regine Ungarie Illustrium, pro te dilecto suo nobis super hoc humiliter supplicantibus, gratiam facere specialem, unum ex huiusmodi

prepositurис, cuius fructus . . . centum et viginti marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, etiamsi prepositura ipsa dignitas principalis et curata existat, si qua vacet ad presens, vel cum vacaverit, quod tu . . . infra unius mensis spatium, postquam tibi . . . vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandam, conferendam tibi post acceptationem huiusmodi, . . . donationi apostolice reservamus. Non obstantibus, . . . quod canonicatum et prebendam ac archidiaconatum de Doboka in ecclesia Albensi, Transilvane diocesis, que dignitas est, et quarum omnium fructus . . . sexaginta marcarum argenti . . . valorem annuum non excedunt obtines Volumus autem, quod quamprimum vigore presentium prepposituram huiusmodi fueris pacifice assecutus, archidiaconatum predictum . . . dimittere tenearis. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum sexto Idus Junii Pontificatus nostri Anno Primo.

Simili modo. Venerabili Fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Preposito Vesprimiensis ac Cantori sancti Martini in Sippus, Strigoniensis diocesis, ecclesiarum . . . Datum ut supra.

LXXIX.

1390. 19. Septembris.

Gregorium Luce Canonicum Bosnensem in Capellanorum Pontificiorum numerum recipit.

(Regestr. Bullarum. Vol. 312. f. 212.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Gregorio Luce canonico Ecclesie Bosnensis Capellano nostro salutem etc. Virtutibus clarens . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum XIII. Kalendas Octobris Pontificatus nostri Anno Primo.

S. de Aquila. B. de Fontanellis.
N. de Piperno.

LXXX.

1390. 2. Octobris.

Nicolao Georgii Canonicatum ecclesiæ Bacsiensis confert.

(Anni I. Liber XIII. f. 192.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao Georgii canonico Bachiensi salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Bachiensis . . . tibi conferimus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Nonas Octobris Anno Primo.

Simili modo. Venerabilibus fratribus Concordiensi et Vaciensi Episcopis, ac dilecto filio Preposito Monasterii sancti Desiderii de Deys *(sic)* per prepositum soliti gubernari, Colocensis Diocesis, . . . Datum ut supra.

LXXXI.

1390. 10. Octobris.

Paulum Præpositum Capellanum Pontificium creat.

(Regest. Bullarum. Vol. 312. f. 234.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Paulo Preposito Monasterii sancti Spiritus de Dienesmonostra, per Prepositum soliti gubernari, ordinis sancti Augustini, Agriensis diocesis, Capellano nostro salutem etc. Virtutibus clarens... Datum Rome apud Sanctum Petrum VI. Idus Octobris Pontificatus nostri Anno Primo.

Ja. de Papia.

LXXXII.

1390. 11. Octobris.

Ladislao Michaelis de Halas Canonicatum in ecclesia Colocensi confert.

(Anni I. Liber VI. f. 275.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Salvatoris Saksardiensis ac Preposito ecclesie sancti Laurentii de Hay, Quinqueecclesiensis et Colocensis diocesis, salutem etc. Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Ladislaus Michaelis de Halas, clericus Colocensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Colocensis, quos dilectus filius Blasius Egidii de Pest, frater domus sancti Pauli primi heremite sancti Laurentii, ordinis sancti Augustini Vesprimiensis diocesis, tunc temporis obtinebat, ex eo vacaverint et vacent ad presens, quod idem Blasius eandem domum ingressus, in ea regularem professionem, per fratres dicte domus emitti consultam, emisit, Nos volentes dictum Ladizlaum . . . favore prosequi gratioso, Dicretioni vestre . . . mandamus, quatenus vos . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus quadraginta florenos auri . . . valorem annuum, ut ipse Ladislaus asserit, non excedunt, si, ut premittitur, vacant, etiam si dispositioni apostolice specialiter reservati existant, dummodo tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Idus Octobris Anno Primo.

LXXXIII.

1390. 12. Octobris.

Nicolaum Thomæ de Salankemen in Capellanorum Pontificiorum numerum recipit.

(Regest. Bullarum. Vol. 312. f. 233.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao Thome de Salankemen ordinis fratrum Minorum Professori, Capellano nostro salutem etc. Virtutibus

clarus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum IV. Idus Octobris Pontificatus nostri Anno Primo.

S. de Aquila. Jo. de Sanctoiusto.
N. de Piperno.

LXXXIV.

1390. 12. Octobris.

Andream Nicolai de Strigonio in Capellanorum Pontificiorum numerum recipit.

(Regest. Bullarum. Vol. 212. l. 333 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Andree Nicolai de Strigonio Ordinis fratrum heremitarum sancti Augustini, Capellano nostro, salutem etc. Virtutibus clarens. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum IV. Idus Octobris Pontificatus nostri Anno Primo.

S. de Aquila. Jo. de Sanctoiusto.
N. de Piperno.

LXXXV.

1390. 12. Octobris.

Michaeli, Pauli Bani filio, Canonicatum in ecclesia Bosnensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 161 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tornacensi et dilectis filiis Preposito Quinqueecclesiensis ac Lectori Boznensis ecclesiarum salutem etc. . . . Nobilitas generis, vite ac morum honestas, aliaque virtutum et probitatis merita, super quibus apud nos dilectus filius Michael Pauli Bani canonicus Agriensis fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita nobis pro parte dicti Michaelis petitio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Boznensis, quos quondam Nicolaus Ladislai de Podigme ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Nicolai obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacantibus Venerabilis frater noster Johannes Episcopus Boznensis predictos canonicatum et prebendam sic vacantes eidem Michaeli auctoritate ordinaria contulit et de illis providit,

ipseque Michael eosdem canonicatum et prebendam vigore collationis et provisionis predictarum assecutus, illos extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Michael dubitet collationem et provisionem predictas, ex certis causis, viribus non subsistere, et sicut accepimus predicti canonicatus et prebenda adhuc, ut prefertur, vacare noscantur; Nos volentes prefato Michaeli, qui, ut asseritur, ex utroque parente de Baronum genere procreatus, et Bacallarius in artibus existit, et pro quo etiam predictus Episcopus nobis super hoc humiliter supplicavit, horum intuitu, gratiam facere specialem, Discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios predictos canonicatum et prebendam quorum fructus, redditus et proventus septem marcharum argenti valorem annuum . . . non excedunt, sive ut prefertur, sive alias quovis modo seu ex alterius cuiuscumque persona vacent, etiam si tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio, juxta Lateranensis statuta concilii, ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, seu canonicatus et prebenda predicti dispositioni apostolice specialiter reservati existant, et etiam si predictus Nicolaus Sedis predicte Capellanus vel alias officialis, seu alicuius ex Venerabilibus fratribus nostris sancte Romane ecclesie Cardinalibus familiaris aut fructuum et proventuum Camere Apostolice debitorum Collector vel Succollector fuerit, aut iniquitatis alumno Roberto, olim Basilice duodecim Apostolorum presbytero Cardinali, nunc Antipape, qui se Clementem VII. temerarie nominat, seu aliis per processus apostolicos de schismate damnatis adheserit, dummodo tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum . . . eidem Michaeli auctoritate nostra conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, . . . quod dudum eidem Michaeli, ut asseritur, de Canonicatu sub expectatione prebende ac dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura ecclesie Agriensis per nostras litteras gratiose duximus providendum . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Octobris Pontificatus nostri Anno Primo.

LXXXVI.

1390. 13. Octobris.

Nicolao Petri de Kolpach Canonicatum in ecclesia Scepusiensi confert.

(Anni I. Liber VI. f. 150.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao Petri de Kalpach canonico ecclesie sancti Martini de Scepus, Strigoniensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque . . . canonicatum ecclesie Sancti Martini de Scepus, Strigoniensis diocesis, . . . conferimus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Tercio Idus Octobris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili Fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Preposito ac Custodi ecclesie Strigoniensis. . . . Datum ut supra.

LXXXVII.

1390. 20. Octobris.

Fabiano Ulsconis Custodiam cum Canonicatu in ecclesia Tituliensi confert.

(Anni I. Liber VI. f. 286.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Fabiano Wlschonis Custodi ecclesie sancte Sapientie Tytulensis, Colocensis diocesis, salutem etc. . . . Dudum siquidem omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, quorumcumque, per assecutionem pacificam dignitatum, personatuum, vel officiorum, aut beneficiorum aliorum quorumlibet, per nos, seu auctoritate litterarum nostrarum, tunc collatorum et inantea conferendorum eisdem, tunc vacantia et imposterum vacatura, collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigeret attemptari, et deinde dilecto filio Andree de Pechel Preposito ecclesie sancti Johannis Baptiste in Castro Quinqueecclesiensi de prepositura predicte ecclesie, tunc certo modo vacante et inantea dispositioni apostolice reservata, per nostras literas, gratiose, mandavimus provideri, volentes, quod inter cetera idem Andreas, quamprimum vigore

dictarum literarum, predictam preposituram foret pacifice assecutus, custodiam ipsius ecclesie Tytulensis, cui certi canonicatus et prebenda ipsius ecclesie Tytulensis canonice sunt annexi, quam idem Andreas tunc temporis obtinebat, et quam extunc vacare decrevimus, omnino dimittere tenentur, prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum itaque postmodum predicta custodia cum ipsis canonicatu et prebenda ex eo vacaverint et vacent ad presens, quod prefatus Andreas eandem preposituram, predictarum litterarum vigore sibi collatam, extitit pacifice assecutus, nullique de ipsa custodia cum dictis canonicatu et prebenda preter nos hac vice disponere potuerit sive possit, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, Nos volentes tibi . . . gratiam facere specialem, Custodiam cum canonicatu et prebenda predictis, que quidem custodia simplex officium sine cura existit, cuiusque fructus, redditus et proventus octuaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut asseris, non excedunt, sic vacante, etiam si ad eandem custodiam quis per electionem assumi consveverit, dictusque Andreas Sedis Apostolice Capellanus vel fructuum et proventuum Camere Apostolice debitorum Succollector fuerit, . . . tibi conferimus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertiodecimo, Kalendas Novembris Anno Primo.

Consimili modo. Venerabilibus fratribus Tudensi et Sirmiensi Episcopis ac dilecto filio Abbati Monasterii sancti Georgii de Dombo Colocensis diocesis, . . . Datum ut supra.

LXXXVIII.

1390. 26. Octobris.

Stephano Michaelis Canonicatum in ecclesia Scepusiensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 114.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Michaelis Oloh canonico ecclesie sancti Martini de Scepes, Strigoniensis diocesis, salutem etc. . . . Dudum siquidem omnes canonicatus . . . dispositioni nostre reservantes, . . . Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie sancti Martini de Scepes Strigoniensis diocesis, quos quondam Laurencius Petri Fogol ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Laurencii obitum, qui apud dictam Sedem diem clausit extremum, vacaverint et

vacent, . . . volentes tibi . . . gratiam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . decem marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, . . . conferimus. Non obstantibus, . . . quod nuper tibi, ut asseris, de canonicatu, sub expectatione prebende ac dignitatis, personatus vel officii, ecclesie Agriensis gratiose concessimus provideri. Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Novembris Pontificatus nostri Anno Primo.

Simili modo. Venerabilibus fratribus Tudensi et Waciensi Episcopis ac dilecto filio Preposito Monasterii de Jazo per Prepositum soliti gubernari, Strigoniensis diocesis, . . . Datum ut supra.

LXXXIX.

1390. 26. Octobris.

Georgio Antonii Canonicatum in ecclesia Vesprimiensi confert.

(Anni I. Liber CLXXX. f. 32.)

Bonifacius etc. Dilectis filiis Tikoniensi ac de Zhircz Monasteriorum Abbatibus ac Lectori beate Marie Albaregalis, Vesprimiensis diocesis salutem etc. Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Georgius Antonii clericus Vesprimiensis fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Vesprimiensis, quos quondam Emericus Parui ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Emerici obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacent ad presens et tanto tempore vacaverint, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta existat, licet bone memorie Benedictus Episcopus Vesprimiensis fructus et proventus ipsorum canonicatus et prebende usibus trium Rectorum altarium, in dicta ecclesia sitorum, de facto, ut asseritur, applicarit, Nos volentes dicto Georgio, premissorum meritorum suorum intuitu, gratiam facere specialem Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . si, vocatis huiusmodi Rectoribus et aliis, qui fuerint evocandi, reppereritis ita esse, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quadraginta florenorum auri, . . . valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, dummodo tempore date presentium non sit in eis

alicui specialiter ius quesitum ... prefato Georgio apostolica auctoritate conferre et assignare curetis. ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Novembris Pontificatus nostri Anno Primo.

XC.

1390. 27. Octobris.

Stephano Mathæi Canonicatum in ecclesia Csasmensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 116.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Mathei canonico ecclesie sancti Spiritus Casmensis, Zagrabiensis diocesis, salutem etc. Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ... dispositioni nostre reservantes. ... Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie sancti Spiritus Casmensis, Zagrabiensis diocesis, quos quondam Fabianus Wlskonis ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Fabiani obitum, qui in civitate et diocesi Zagrabiensi dictorum fructuum et proventuum Succollector existens, extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent. ... Nos volentes tibi ... gratiam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus, et proventus quadraginta florenorum auri ... valorem annuum non excedunt, ... tibi conferimus. Non obstantibus, ... quod, ut asseris, parochialem ecclesiam sancti Georgii de Megurechia, dicte diocesis, cuius fructus ... quadraginta florenorum auri ... valorem annuum non excedunt, nosceris obtinere. ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Kalendas Novembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati monasterii de Garab, Colocensis diocesis, ac Archidiacono Dubicensi in ecclesia Zagrabiensi. ... Datum ut supra.

XCI.

1390. 27. Octobvis.

Blasio Andreæ Canonicatum ecclesiæ Agriensis confert.

(Anni I. Liber VI. f. 1.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii beate Marie de Saar, Agriensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Blasium Andree, Rectorem parochialis ecclesie de Rabico, Agriensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Blasium ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu ecclesie Agriensis . . . provideas. Non obstantibus, . . . quod idem Blasius parochialem ecclesiam predictam noscitur obtinere. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Kalendas Novembris Anno Primo.

XCII.

1390. 27. Octobris.

Thomae Johannis Canonicatum in ecclesia Quinqueecclesiensi confert.

(Anni I. Liber XII. f. 199.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Thomam Johannis, clericum Agriensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, Discretioni sue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, eundem Thomam ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu ecclesie Quinqueecclesiensis . . . provideas. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Kalendas Novembris Anno Primo.

XCIII.

1390. 2. Novembris.

Dominico Michaelis de Nyekvar Canonicatum in ecclesia sancti Petri de Veteribuda confert.

(Anni I. Liber VI. f. 272 t)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Preposito ac Cantori ecclesie Waciensis salutem etc. Laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Dominicus Michaelis de Nyekvar, clericus Quinqueecclesiensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie sancti Petri de Veteribuda, Vesprimiensis diocesis, quos quondam Petrus Benefia Cantor ipsius ecclesie, dum viveret, obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens; Nos volentes prefato Dominico, premissorum meritorum suorum intuitu, gratiam facere specialem, Discretioni vestre, mandamus, quatenus ... canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus, redditus et proventus quadraginta florenorum auri, secundum communem extimationem, valorem annuum, ut ipse Dominicus asserit, non excedunt, . . . prefato Dominico, . . . conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, . . . quod dudum eidem Dominico de canonicatibus sub expectationibus prebendarum Waciensis et sancte Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, ecclesiarum per alias nostras litteras mandavimus provideri. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Novembris Pontificatus nostri Anno Primo.

XCIV.

1390. 2. Novembris.

Stephano Thome beneficium in diœcesi Waradiensi confert.

(Anni I. Liber VI. f. 140.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancti Stephani de Zenthyog, Waradiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Stephanum Thome, perpetuum beneficiatum in Capella sancti Johannis Baptiste in Castro Waradiensi, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinacionem, dictum Stephanum, qui presbyter est, . . . ydoneum ad curatum beneficium obtinendum esse reppereris, . . . cum cura vel sine cura, et si forsan ita esse non inveneris, . . . dummodo ipsum alias . . . ad obtinendum beneficium sine cura ydoneum esse reppereris, super quibus tuam conscientiam oneramus, sine cura dumtaxat, beneficium ecclesiasticum, cuius fructus, redditus et proventus, si cum cura vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti, . . . valorem annuum, non excedant, ad collacionem, . . . Episcopi Waradiensis pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non existat, . . . conferendum eidem Stephano, post acceptacionem huiusmodi, . . . donationi tue, auctoritate nostra, reserves. Non obstantibus . . . quod item Stephanus quoddam perpetuum beneficium sine cura, magistratum nuncupatum, in predicta Capella noscitur obtinere . . , Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Novembris Anno Primo.

XCV.

1390. 2. Novembris.

Nicolao Johannis dignitatem in ecclesia Csanadiensi confert.

(Anni I. Liber XI. f. 56.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao Johannis canonico Cenadiensi salutem etc. Volentes itaque tibi, premissorum meritorum intuitu, gratiam facere specialem, teque in ecclesia Cenadiensi amplius honorare, dignitatem, seu personatum, vel officium, cum cura vel sine cura, . . . dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem ecclesia non existat, si qua, vel si quis, aut si quod in eadem ecclesia vacat ad presens, vel cum vacaverit, quam, vel quem, seu quod tu, . . . infra unius mensis spatium, duxeris acceptandam, vel acceptandum, conferendam vel conferendum tibi, post acceptationem huiusmodi, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, donationi apostolice reservamus. . . . Non obstantibus, . . . quod, ut asseris, super canonicatu et prebenda dicte ecclesie in palatio apostolico nosceris litigare. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Novembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancte Marie Cenadiensis ac Archidiacono Orodiensi in ecclesia Cenadiensi.

XCVI.

1390. 2. Novembris.

Michaeli Petri de Sagud Canonicatum in ecclesia Waciensi confert.

(Anni I. Liber XIII. f. 83 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Waciensi salutem etc. Volentes igitur dilectum filium Michaelem Petri de Sagwd, clericum Vesprimiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, dictum Michaelem ad hoc ydoneum esse

reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, ei de canonicatu ecclesie Waciensis, . . . provideas. Non obstantibus . . , si die date presentium eidem Michaeli canonicatum ecclesie predicte contulissemus ac prebendam ipsius ecclesie, si qua tunc vacabat vel cum vacaret, quam idem Michael duceret acceptandam, ut prefertur, conferendam eidem Michaeli post acceptationem predictam donationi apostolice cum interpositione decreti duxissemus specialiter reservandam. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Novembris Anno Primo.

XCVII.

1390. 2. Novembris.

Johanni Petri Canonicatum in ecclesia b. M. Virginis Albæregalis confert.

(Anni I Liber XV. f. 122.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Petri canonico ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, . . . tibi conferimus . . . Non obstantibus, . . . quod, ut asseris, parochialem ecclesiam sancti Emerici de Babarczy, Quinqueecclesiensis diocesis, nosceris obtinere . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Novembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Segobiensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Benedicti de Peczvarad, Quinqueecclesiensis diocesis, ac Preposito ecclesie sancti Michaelis Vesprimiensis . . . Datum ut supra.

XCVIII.

1390. 2. Novembris.

Andreæ Johannis Canonicatum in ecclesia Waradiensi confert.

(Anni I. Liber XV. f. 146.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Cenadiensi salutem etc.... Volentes igitur dilectum filium Andream Johannis, Rectorem altaris beate Marie Virginis siti in ecclesia Waradiensi, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore prosequi gratioso, Fraternitati tue ... mandamus, quatenus, si, per diligentem examinationem, eundem Andream, qui presbyter est, ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, eidem de canonicatu ecclesie predicte ... provideas, ... Non obstantibus, ... quod dictus Andreas, ut asserit, altare predictum, quod sine cura est, cuiusque fructus, redditus et proventus viginti florenorum auri, secundum communem extimationem, valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Novembris Anno Primo.

XCIX.

1390. 3. Novembris.

Petrum Stephani Magistrum domorum Budensis et Strigoniensis Sepulchri Dominici Jerosolimitani, propter homicidii crimen, beneficio privat et Thomae Ladislai Canonico ecclesiæ Albæregalis Magistratum confert.

(Anni I. Liber XI. f. 224.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Omnium Sanctorum, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Religionis zelus, vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Thomas Ladislai, canonicus ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, Nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Hodie siquidem ad audientiam nostram deducto, quod dilectus filius Petrus Stephani Magister Sancte Trinitatis

de Calidis aquis de Suburbio Budensi, dicte diocesis, et sancti Stephani Regis Strigoniensis, domorum Sepulcri Dominici Jerosolimitani invicem canonice unitarum, ordinis sancti Augustini, quondam Damianum de Sancto Rege laicum inhumaniter interfecerat; nos attendentes, quod, veris existentibus supradictis, idem Petrus magistratu dictarum domorum, quem tunc temporis obtinebat, prout obtinet, reddiderat se indignum, tibi per nostras litteras dedimus in mandatis, ut vocatis dicto Petro et aliis, qui forent evocandi, super premissis inquireres auctoritate nostra diligentius veritatem, et si per inquisitionem hujusmodi invenires, ita esse, eundem Petrum dicto magistratu sententialiter privares, et amoveres etiam realiter ab eodem, sicut de jure foret faciendum. Et etiam accepto, quod idem Thomas cupiebat una cum dilectis filiis fratribus dictarum domorum in dictis domibus sub regulari habitu virtutum Domino famulari, Nos tibi per alias nostras litteras mandavimus, ut eundem Thomam, si esset ydoneus et aliud canonicum non obsisteret, auctoritate nostra recipi faceres in predictis domibus, si in eis certus fratrum numerus non haberetur, et ex hoc domus ipse nimium non gravarentur, vel etiam si hujusmodi numerus ibidem forsan existeret, neque aliquis de dicto numero deesset, tunc alioquin quamprimum aliquem deesse contingeret, in fratrem, sibique juxta ipsarum domorum consvetudinem regularem habitum exhiberi; ac de communibus earumdem domorum proventibus, sicut uni ex aliis dictarum domorum fratribus, integre provideri, ipsumque ibidem sincera in Domino caritate tractari. Et voluimus, quod ipse Thomas, quamprimum eundem ordinem foret expresse professus, vel annus probationis esset elapsus, aut si evidenter constaret ipsum absolute vitam voluisse mutare, vel si scienter habitum reciperet et per triduum gestaret professorum, canonicatum et prebendam ac Rectorem *(sic)*. altaris sancti Regis Ladislai, siti in predicta ecclesia beate Marie, quos tunc temporis obtinebat, prout obtinet, et quos extunc vacare decernimus, omnino dimittere teneretur, prout in ipsis litteris plenius continetur. Attendentes igitur, quod, sicut habet quamplurimorum fidedignorum assertio, idem Thomas ad regimen dictarum domorum utilis et alias ydoneus esset, ac volentes ipsi Thome, premissorum meritorum suorum intuitu, gratiam facere specialem, Discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si per te dictum Petrum eodem magistratu sententialiter privari et ab eo amoveri contigerit, ut prefertur, dictum magistratum ab ecclesia Sepulcri Dominici Jerosolimitani dicti ordinis dependentem, et per canonicos ecclesie seu fratres ordinis predictorum solitum gubernari, cujus fructus, redditus et proventus trecen-

tarum marcharum argenti, secundum communem extimationem, valorem annuum, ut ipse Thomas asserit, non excedunt, cum illum, ut prefertur, vacare contigerit, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, eidem Thome, postquam ipse dictum ordinem fuerit expresse professus, auctoritate predicta, conferas et assignes. Non obstantibus, . . . si Venerabili fratri nostro Patriarche Jerosolimitano et dilectis filiis Capitulo ecclesie Sepulcri Dominici ac fratribus predictis . . . a predicta sit Sede indultum, quod ad receptionem vel provisionem alicuius minime teneantur . . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Nonas Novembris. Anno Primo.

C.

1390. 3. Novembris.

Thomam Ladislai Canonicum ecclesiæ Albæregalis in ordinem Sepulchri Dominici Jerosolimitani recipi jubet.

(Anni I. Liber XI. f. 225.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Omnium Sanctorum, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Cupientibus vitam ducere regularem apostolicum debet adesse presidium, ut eorum pium propositum possint ad laudem divini nominis adimplere. Cum itaque dilectus filius Thomas Ladislai, Canonicus ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, cupiat, sicut accepimus, in Sancte Trinitatis de Calidisaquis de Suburbio Budensi, dicte diocesis, et sancti Stephani Regis, Strigoniensis, domibus Sepulcri Dominici Jerosolimitani, invicem canonice unitis, ordinis sancti Augustini, una cum dilectis filiis fratribus ipsarum domorum, sub regulari habitu, virtutum Domino famulari, Nos volentes ipsum in huiusmodi suo laudabili proposito confovere, Discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Thomam, si sit ydoneus et aliud canonicum non obsistat impedimentum, auctoritate nostra, recipi facias in eisdem domibus in fratrem... Non obstantibus,... quod idem Thomas canonicatum et prebendam ac rectoriam altaris sancti Regis Ladislai, siti in predicta ecclesia, noscitur obtinere. Volumus autem, quod ipse Thomas, quamprimum eundem ordinem fuerit expresse professus, vel annus probationis elapsus, aut si evidenter constiterit ipsum absolute vitam voluisse mutare, vel si ipse scienter habitum receperit, et per triduum gestaverit professo-

rum, canonicatum et prebendam ac rectoriam predictos, quos extunc vacare decernimus, omnino dimittere teneatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Nonas Novembris Anno Primo.

CI.

1390. 3. Novembris.

Johanni Georgii de Szántó Canonicatum in ecclesia Agriensi confert.

(Anni I. Liber XII. f. 57 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Georgii de Zantho, canonico Agriensi, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi,... gratiam facere specialem canonicatum ecclesie Agriensis... tibi conferimus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Nonas Novembris Anno Primo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Preposito Albensi in Vesprimiensi ac Archidiacono de Zumlin in Agriensi ecclesiis . . . Datum ut supra.

CII.

1390. 4. Novembris.

Episcopum Zagrabiensem iudicem constituit, ut controversiam in negotio sponsalium exortam examinat et dirimat.

(Anni I. Liber —. f. 260).

Bonifacius etc. Venerabili fratri, Episcopo Sagrabiensi, salutem. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Nobilis viri Nicolai quondam Raphaelis de Surdis laici nati domini *(sic)* Castri Lypolcz et dilectarum in Christo filiarum Nobilium mulierum Elene matris et Margarete sororis predicti Nicolai, Zagrabiensis diocesis, petitio continebat, quod olim dilectus filius Nobilis vir Akus Stephani Comes Albini, dicte diocesis, nomine suo et dilecti filii Nobilis viri Mykchk, ipsius Akus nati, domicelli dicte diocesis,

promisit prefate Elene, quod idem Mykchk sponsalia cum dicta Margareta contraheret, idemque Akus sub certa pena se efficaciter obligavit, se facturum et curaturum cum effectu, quod idem Mykchk infra certum terminum tunc expressum et nunc elapsum cum dicta Margareta huiusmodi sponsalia legitime contraheret, et ipsam in suam sponsam reciperet, idemque Akus pro dote et nomine dotis dicte Margarete septem millia florenorum de Ungaria a predicta Elena recepit, promittens sub dicta pena, quod in, casu, quo prefatus Mykchk huiusmodi sponsalia cum prefata Margareta contrahere recusaret, ipse dictam florenorum summam nomine dicte pene Elene vel Nicolao predictis restitueret, ac daret, et realiter assignaret, prout in publicis instrumentis inde confectis plenius dicitur contineri, et quod, licet postmodum prefatus Mykchk infra dictum terminum, vel etiam post cum predicta Margareta huiusmodi sponsalia contrahere noluerit, et id facere expresse recusaverit, tamen prefatus Akus predictas florenorum summas tam pro dote, quam etiam nomine pene huiusmodi Nicolao aut Elene predictis restituere ac assignare recusavit, ac recusat super hoc pro parte dictorum Nicolai et Elene pluries requisitus contra fidem et promissionem suam huiusmodi temere veniendo in anime sue periculum et predictorum Nicolai et Elene ac Margarete non modicum detrimentum. Quare pro parte ipsorum Nicolai, Elene ac Margarete nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hoc de opportuno remedio dignaremur Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis Akus et Mykchk predictis et aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit summarie et de plano sine strepitu et figura iudicii appellatione remota decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere. Non obstante, si prefatis Akus aut Mykchk, vel quibusvis aliis communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari, aut ad iudicium evocari non possint, per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de huiusmodi indultu mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Nonas Novembris Anno Primo.

CIII.

Sine dato.

Stephano Jacobi Canonicatum in ecclesia Waciensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 201 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Jacobi canonico Waciensi salutem etc. . . . Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Waciensis . . . conferimus.

CIV.

Sine dato.

Thomae Johannis Canonicatum in ecclesia Vesprimiensi confert.

(Anni I. Liber —. f. 208 t.)

Bonifacius Dilecto filio Preposito ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Volentes itaque dilectum filium Thomam Johannis, Rectorem altaris sancte Affre siti in ecclesia Vesprimiensi ... favore prosequi gratioso, . . . Discretioni tue . . . mandamus, quatenus ... ei de canonicatu dicte ecclesie provideas. . . .

ANNUS SECUNDUS.

1390. 9. NOVEMBRIS—1391. 8. NOVEMBRIS.

CV.

1390. 9. Novembris.

Michaeli Thomæ beneficium in diœcesi Strigoniensi confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 138 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Michaeli Thome, clerico Strigoniensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes . . . tibi gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, cujus fructus . . . si cum cura viginti quinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedant, ad . . . dispositionem . . . Archiepiscopi et . . . Capituli Strigoniensis . . . pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non existat, conferendum tibi apostolice donationi reservamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Idus Novembris Anno Secundo.

Simili modo. Venerabilibus fratribus Tudensi et Nitriensi Episcopis ac dilecto filio Preposito ecclesie sancti Thome Strigoniensis . . . Datum ut supra.

CVI.

1390. 9. Novembris.

Fidelibus ecclesiam s. Nicolai in villa Bringonis, Strigoniensis diœcesis, visitantibus indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XX. f. 122 t.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. Splendor paterne glorie, qui sua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium, de clementissima ipsius maiestate sperantium, tunc precipue benigno favore prosequitur, cum devota ipsorum humilitas sanctorum partibus et meritis adiuvatur. Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia sancti Nicolai in villa Bringonis, Strigoniensis diocesis, congruis honoribus, frequentetur . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui

in Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini nostri Jesu Christi, Penthecostes, necnon Nativitatis . . . Annuntiationis, Purificationis, Assumptionis beate Marie Virginis, et Nativitatis beati Johannis Baptiste, apostolorum Petri et Pauli ac dicte ecclesie Dedicationis festivitatibus et celebritate omnium Sanctorum et per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini, necnon Nativitatis et Assumptionis beate Marie, Nativitatis beati Johannis et apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octavis et per sex dies dictam festivitatem Penthecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum et celebritatum, unum annum et quadraginta dies, octavarum vero ipsarum et sex diebus . . . centum dies de iniunctis penitentiis misericorditer relaxamus. Presentibus post decennium minime valituris. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Idus Novembris Anno Secundo.

CVII.

1390. 10. Novembris.

Johannem Moysis ad possessionem Canonicatus ecclesiæ Vesprimiensis restitui iubet.

(Anni II. Liber XII. f. 50 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie sancte Marie Albere-galis, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Johannis Moysi, canonici Vesprimiensis, petitio continebat, quod, licet olim ipse canonicatum et prebendam ecclesie Jauriensis tunc per obitum quondam Thome, vulgo Istentamasa, canonici ipsius ecclesie, vacantes assecutus fuisset canonice, illosque aliquamdiu tenuisset et possedisset, et nunc etiam teneret et possideret pacifice et quiete; quia tamen postmodum venerabilis frater noster Johannes episcopus Jauriensis predictum Johannem Moysi eisdem canonicatu et prebenda, contra iustitiam, spoliavit, et dilectum filium Stephanum Petri, qui se gerit pro clerico Vesprimiensi, in eisdem canonicatu et prebenda de facto intrusit, prefatus Johannes Moysi, sentiens exinde se indebite gravari, ad Sedem Apostolicam appellavit, nobisque humiliter supplicat, ut providere sibi super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni Tue per apostolica scripta mandamus, quatenus

eodem Johanne Moysi ad possessionem eorundem canonicatus et prebende, prout iustum fuerit, per te restituto, ac vocatis eisdem Episcopo et Stephano, necnon aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Testes autem qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili, appellatione cessante, compellas veritati testimonium perhibere.... Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Novembris Anno Secundo.

CVIII.

1390. 13. Novembris.

Nicolaum Petri de Pok, Canonicum Jauriensem, in numerum Capellanorum Pontificiorum recipit.

(Regest. Bullarum Vol. 313. f. 280.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Nicolao Petri de Pok canonico Jauriensi, Capellano nostro, salutem etc. Virtutibus clarus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Novembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

S. de Aquila. M. de Novaria.
N. de Piperno.

CIX.

1390. 18. Novembris.

Nicolao Martini Canonicatum in ecclesia Bosnensi confert.

(Anni II. Liber CLXXX. f. 124.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Strigoniensi et Vaciensi et Vesprimiensi Episcopis salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Nicolaus Martini, canonicus Quinqueecclesiensis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Bosnensis, quos quondam Nicholaus Poriwach ipsius ecclesie Canonicus,

dum viveret, obtinebat, per ipsius Nicolai Poriwach obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, et tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio secundum statuta Lateranensis concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta existat, Nos volentes dictum Nicolaum Martini . . . gratiam facere specialem, Fraternitati vestre . . . mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quadraginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Nicolaus Martini asserit, non excedunt, si, ut premittitur, vacant, et tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum . . . eidem Nicolao Martini auctoritate nostra conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, . . . quod idem Nicolaus Martini super canonicatu et prebenda majoris Quinqueecclesiensis ecclesie, cuius fructus . . . septuaginta marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, in Palatio Apostolico se asserit litigare. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoquarto Kalendas Decembris Anno Secundo.

CX.

1390. 25. Novembris.

Fidelibus ecclesiam s. Petri de Alap, Strigoniensis diœcesis, visitantibus, indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XV. f. 176 t.)

Bonifacius episcopus etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. . . . Cupientes igitur, ut ecclesia parochialis sancti Petri apostoli de Alap, Strigoniensis diocesis, congruis honoribus frequentetur, et etiam conservetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et ad eius conservationem huiusmodi manus eo promptius porrigant adiutrices, . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo dicti sancti Petri prefatam ecclesiam devote visitaverint, et ad huiusmodi conservationem manus porrexerint adiutrices, duos annos de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem, quod si alias visitantibus ecclesiam predictam, seu ad eius conservationem manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias elemosinas erogantibus, vel alias, aliqua alia indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit huiusmodi, presentes littere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Decembris Anno Secundo.

CXI.

1390. 25. Novembris.

Henrico Cardinali Præposituram de Glogoncza confert.

(Anni III. Liber XVII. f. 222.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Strigoniensi et Puteolano ac Waciensi Episcopis salutem etc. Dum exquisitam dilecti filii nostri Henrici, tituli sancte Anastasie presbiteri Cardinalis, circumspectionis industriam diligenter attendimus, et paterna consideratione pensamus, quod ipse Romanam ecclesiam, cuius honorabile membrum existit, suorum honorat magnitudine meritorum, dignum reputamus et congruum, ut eam sibi repereat in exhibitione gratiarum munificam et in suis opportunitatibus liberalem. Cum itaque, sicut accepimus, prepositatus domus Sepulcri Dominici Jerosolimitani sancte Marie de Glogoncha, ordinis sancti Augustini, Zagrabiensis diocesis, quem quondam Paulus Petri dicte domus Prepositus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Pauli obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacare noscatur ad presens, Nos opportunitatibus dicti Cardinalis, ut incumbentia expensarum onera, que ipsum continue subire oportet, facilius supportare valeat, de alicuius subventionis auxilio providere, sibique gratiam specialem facere volentes, motu proprio, non ad ipsius Cardinalis, vel alterius pro eo nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, Fraternitati Vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum per vos vel alium seu alios predictum prepositatum, qui ab ecclesia Sepulchri Dominici Jerosolimitani dicti ordinis dependet et per canonicos ipsius ecclesie gubernari consvevit, cuiusque fructus . . . mille florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, . . . eidem Cardinali auctoritate nostra conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, quod prefatus Cardinalis predicti vel alterius regularis ordinis professor non existit et quibuscunque constitutionibus apostolicis, necnon statutis et consvetudinibus ecclesie, domus et ordinis predictorum contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque alia firmitate roboratis. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Decembris Anno Secundo.

CXII.

1390. 27. Novembris.

Magistro Petro Gasconis causarum auditori palatii apostolici mandat, ut controversiam de canonicatu ecclesiæ Albæregalis ortam examinet et dirimat.

(Anni II. Liber —. f. 66.)

Bonifacius etc. Dilecto filio magistro Petro Gasconis, Capellano nostro et causarum Palatii Apostolici auditori, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis ac virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Georgius Pauli, presbiter Agriensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, Nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Georgii petitio continebat, quod orta dudum, inter ipsum et Stephanum Georgii, presbiterum dicte diocesis, super canonicatu et prebenda ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, de quibus tunc per obitum quondam Johannis Petri ipsius ecclesie canonici, extra Romanam Curiam defuncti, vacantibus, Georgius, sibi auctoritate apostolica gratiose et canonice mandatum fuisse provideri, dictumque Stephanum se gratie et mandato huiusmodi, contra iustitiam, opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus gratia et mandatum predicta debitum sortirentur effectum, et quominus eidem Georgio de ipsis canonicatu et prebenda provideatur, dictumque Stephanum eosdem canonicatum et prebendam occupasse et detinuisse ac detinere indebite occupatos, fructus percipiendo eiusdem, Stephanus et Georgius predicti eosdem canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis, Nos causam huiusmodi tibi, ad instantiam dicti Georgii, audiendam commisimus et fine debito terminandam, non obstante, quod causa ipsa, de sui natura, ad eandem Curiam legitime devoluta et apud eam tractanda et finienda non esset, et cum potestate citandi eundem Stephanum extra eandem Curiam ad partes, quotiens opus esset, tuque citationem extra eandem Curiam contra eundem Stephanum ad instantiam predicti Georgii, in forma consveta dumtaxat diceris decrevisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Stephanus, per multa tempora, publicus concubinarius fuerit et adhuc quandam concubinam publice teneat, et ex ea filios procreaverit, ipseque per Ordinarium loci sepe auctoritate ordinaria monitus extiterat,

ut dictam concubinam dimitteret, ipseque Stephanus id facere contumaciter non curaverit, neque curet, necnon etiam quedam instrumenta publica falsificaverit in anime sue periculum et scandalum plurimorum, Nos attendentes, quod, veris existentibus supradictis, idem Stephanus iure, si quod ei competit aut competere potest in eisdem canonicatu et prebenda, seu ad eos, reddidit se indignum, et ne excessus huiusmodi impuniti remaneant providere, dictoque Georgio, premissorum meritorum suorum intuitu, specialem gratiam facere volentes, Discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si idem Georgius se in forma iuris voluerit ad penam talionis inscribere et dictum Stephanum de premissis accusare, postquam se inscripserit, et ipsum Stephanum coram te accusaverit de premissis, vocato dicto Stephano et aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, et nichilominus, si per te prefatum Stephanum huiusmodi iure sententialiter privari et ab eo amoveri contigerit, eundem Georgium, dummodo ipse in eisdem canonicatu et prebenda intrusus non fuerit, in omni iure et ad omne ius huiusmodi, si quod eidem Stephano tempore dicte privationis in eisdem canonicatu et prebenda, quorum fructus, redditus et proventus sexaginta florenorum auri, secundum communem extimationem, valorem annuum, ut ipse Georgius asserit, non excedunt, seu ad eos quomodolibet competit, auctoritate nostra surroges, dictumque ius sibi conferes et provideas etiam de illo, ac dictum Georgium ad huiusmodi ius et eius prosecutionem et defensionem in eo statu, in quo idem Stephanus tunc erat, et si ipse non privaretur, posset et deberet admitti, admittas et admitti facias, ut est moris, non obstante, quod idem Georgius, ut asserit, auctoritate quarundam litterarum nostrarum gratiose sibi concessarum, per quas beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura ad collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem Venerabilis fratris nostri Episcopi Vesprimiensis pertinens expectabat, parochialem ecclesiam sancti Laurentii prope oppidum Alberegalis, dicte diocesis, cuius fructus, redditus et proventus trigintaduorum florenorum auri, secundum extimationem predictam, valorem annuum, non excedunt et ad collationem dicti Episcopi pertinentem, infra tempus legitimum acceptavit, et quod dudum sibi de canonicatu sub expectatione prebende ac dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura ecclesie Waradiensis gratiose concessimus providere. Volumus autem, quod ipse Georgius, quamprimum vigore presentium dictos canonicatum et prebendam eiusdem ecclesie beate Marie

fuerit pacifice ass cutus, dictam parochialem ecclesiam, quam extunc vacare decernimus, et omne ius sibi in ea seu ad eam quomodolibet competens, prout ad id se sponte obtulit, omnino dimittere teneatur, quodque ipse littere, per quas eandem parochialem ecclesiam acceptavit, ut prefertur, et processus habiti per easdem et quecumque inde secuta, extunc fuerint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti, et insuper ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nos etiam tibi citandi eundem Stephanum extra eandem Curiam et ad partes, quotiens opus fuerit, non obstantibus tam felicis recordationis Bonifacii papa VIII. predecessoris nostri ac de una et duabus dietis etiam in concilio generali et aliis constitutionibus apostolicis contrariis quibuscumque, tenore presentium auctoritate apostolica concedimus facultatem. Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Kalendas Novembris Anno Secundo.

CXIII.

1390. 29. Novembris.

Johanni Stephani beneficium in diœcesi Quinqueecclesiensi confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 123.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Stephani, presbytero Quinqueecclesiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum intuitu, gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura, consvetum clericis secularibus assignari, cuius fructus, redditus et proventus viginti quinque marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, ad collationem. . . . Abbatis et Conventus Monasterii de Pech Waradino, ordinis sancti Benedicti, Quinqueecclesiensis diocesis, . . . pertinens, si quod vacat ad presens vel cum vacaverit, quod tu . . . infra unius mensis spatium, postquam tibi . . . vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandum, conferendum tibi post acceptationem huiusmodi . . . donationi apostolice reservamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Kalendas Decembris Anno Secundo.

Simili modo. Dilectis filiis Preposito et Lectori ac Archidiacono ecclesie Quinqueecclesiensi. . . . Datum ut supra.

CXIV.

1390. 30. Novembris.

Georgio Nicolai de Csicsan beneficium ecclesiasticum in Zagrabiensi diœcesi confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 152.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancte Marie Zagrabiensis salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Georgium Nicolai de Chichan, clericum Zagrabiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem eundem Georgium . . . ydoneum ad curatum beneficium obtinendum esse reppereris, . . . cum cura vel sine cura, et si forte ita esse non inveneris, dummodo ipsum alias . . . ad obtinendum beneficium sine cura ydoneum esse reppereris, . . . sine cura dumtaxat beneficium ecclesiasticum, cuius fructus . . . si cum cura, viginti quinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . annuum valorem non excedant, . . . ad dispositionem . . . Episcopi et Capituli Zagrabiensis . . . pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non existat, . . . conferendum predicto Georgio . . . donationi tue . . . reserves. Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Kalendas Decembris Anno Secundo.

CXV.

1390. 2. Decembris.

Fidelibus ecclesiam de Rékás, Csanadiensis diœcesis, visitantibus, indulgentias confert.

(Anni II. Liber XV. f. 221.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. Et si quelibet loca sanctorum sint pia et prompta devotione a Christi fidelibus veneranda, illa tamen, que sunt in honorem Sancti Spiritus dedicata, tanto sunt venerabilius honoranda, quanto ipse Spiritus Sanctus gratiam infundit uberius in cordibus devotorum. Cupientes igitur,

ut parochialis ecclesia Sancti Spiritus de Rekaz, Cenadiensis diocesis, congruis honoribus frequentetur . . . omnibus vere penitentibus et confessis qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini nostri Jesu Christi, Penthecostes, necnon in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie Virginis ac Nativitatis beati Johannis Baptiste et apostolorum Petri et Pauli et dicte ecclesie Dedicationis festivitatibus ac celebritate Omnium Sanctorum et per ipsarum Nativitatis, Epyphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini, necnon ipsius beate Marie Nativitatis et Assumptionis ac Nativitatis beati Johannis Baptiste et dictorum apostolorum Petri et Pauli festivitatum octavas et per sex dies dictum festum Penthecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint, annuatim, singulis videlicet festivitatum et celebritatum, duos annos et totidem quadragenas, octavarum vero et predictorum sex dierum diebus, quibus dictam ecclesiam visitaverint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime valituris. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Decembris Anno Secundo.

CXVI.

1390. 2. Decembris.

Ladislao Marci Canonicatum in ecclesia Waradiensi confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 201 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Agriensi salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Ladislaum Marci, clericum Waradiensis diocesis, apud nos de vite ac morum probitate . . . multipliciter commendatum, . . . horum intuitu, nec non consideratione Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Ungarie Regis Illustris, pro eodem Ladislao dilecto suo nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gratioso, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem eundem Ladislaum ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, eidem Ladislao de canonicatu ecclesie Waradiensis . . . provideas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Decembris Anno Secundo.

CXVII.

1390. 2. Decembris.

Georgio Galli Canonicatum in ecclesia Albaregalensi confert.

(Anni II. Liber CLXXX. f. 5 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Quinqueecclesiensis salutem etc. . . . Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie beate Marie Alberegalis ac parochialis ecclesia sancti Dominici de dicta Alberegali, Vesprimiensis diocesis, quas quondam Petrus, dictus Ingaltalam, canonicus ac parochialis ecclesie Rector, dum viveret, obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, Nos volentes dilectum filium Georgium Galli, canonicum ecclesie Orodiensis, Cenadiensis diocesis, apud nos de vite ad morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Georgium, . . . ydoneum ad ecclesiam parochialem predictam obtinendam esse reppereris, . . . canonicatum et prebendam ac parrochialem ecclesiam predictos, quorum fructus, redditus et proventus centum florenorum auri, . . . ut ipse Georgius asserit, non excedunt, si, ut premittitur, vacant, . . . dummodo tempore date presentium non sit alicui specialiter ius quesitum, . . . eidem conferre et assignare curetis. Non obstantibus, . . . quod dictus Georgius, ut asserit, canonicatum et prebendam ecclesie Orodiensis predicte, quorum fructus, redditus et proventus viginti florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Decembris Anno Secundo.

CXVIII.

1390. 5. Decembris.

Gregorio Francisci de Tamási Canonicatum in ecclesia Quinqueecclesiensi confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 197.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Gregorio Francisci de Thamasi canonico Quinqueecclesiensi salutem etc. . . . Volentes . . . tibi gratiam facere specialem, . . . canonicatum ecclesie Quinqueecclesiensis, . . . tibi conferimus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonas Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii Peczvaradiensis, Quinqueecclesiensis diocesis, ac Archidiacono Quinqueecclesiensi. . . . Datum ut supra.

CXIX.

1390. 5. Decembris.

Nicolao Matthæi de Albavilla, scolari Transsilvanæ diocesis, ut ad sacros ordines promoveri possit, dispensationem concedet.

(Anni II. Liber XV. f. 102 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao Mathei de Albavilla, scolari Transilvane diocesis, salutem etc. . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod, cum olim quidam notorius fur ad terram Albaville, Transilvane diocesis, declinasset, et ibidem pro tali cognitus fuisset, et propterea, timens intercipi, ad domum quondam Thome Rectoris altaris sancte Crucis, siti in ecclesia Transilvana, se reduxisset ac ibidem abscondisset et die sequenti famuli secularis Curie eiusdem terre furem huiusmodi perquirentes, ad ipsam domum venissent, te, qui tunc eras in decimo tue etatis anno constitutus, ibi repertum cum minis interrogarunt, an ibi aliquis latitaret, tuque nesciens ad quem finem interrogareris et alias timens, dictis famulis respondisti, quod quidam homo se absconderat in domo predicta, propter quod huiusmodi famuli domum ipsam

ingressi et diligentius perquirentes, dictum furem ibidem comprehenderunt, et eum victum eduxerunt ac tandem publica dicte Curie sententia ultimo supplicio tradiderunt. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter supplicatum, ut tecum, qui, ut asseritur, in vicesimo eiusdem etatis anno constitutus es, et sub clericali habitu desideras Domino famulari, super hoc nunc agere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur . . . huiusmodi supplicationibus inclinati, tecum, ut ad omnes, etiam sacros ordines promoveri et quecumque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, invicem compatibilia, si tibi alias canonice conferantur, recipere et retinere libere et licete valeas premissis et constitutionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus auctoritate apostolica tenore presentium de specialis dono gratie dispensamus, teque restituimus in statum pristinum per presentes. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonas Decembris Anno Secundo.

CXX.

1390. 10. Decembris.

Ladislao Abbati Scepusiensi, Cistersiensis ordinis, mandat, ne ipse cæterique Cistercienses in Hungaria Monachi Abbati generali eiusdem Ordinis, Antipapæ sectatori, adhæreant.

(Regest. Bullarum. Vol. 312. f. 292. Theiner. Hung. Sacra II. p. 164.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Ladislao Abbati Monasterii beate Marie Virginis in Scepus, Cisterciensis ordinis, Strigoniensis diocesis, Capellano nostro salutem etc. Pastoralis officii cura, nobis licet immeritis ex alto commissa, cor nostrum continua pulsat instantia, ut gregem nobis creditum a noxiis et adversis preservare solicita diligentia studeamus, et oves nobis commissas, ne luporum patiantur incursus et eorum morsibus lanientur, satagamus nostre protectionis munimine confovere. Cum itaque, sicut Carissimus in Christo filius noster Sigismundus Rex, et Carissima in Christo filia nostra Maria Regina Ungarie Illustres nobis significare curarunt, et alias ex multorum relatione percepimus, iniquitatis filius Gerhardus, qui se gerit pro Abbate Monasterii Cisterciensis, Cabilonensis diocesis, in reprobum sensum datus, iniquitatis alumno, Roberto, olim Basilice XII. Apostolorum presbytero Cardinali, nunc Antipape, qui se Clementem VII. ausu temerario nominare presumit, etiam post et contra processus per felicis recordationis Urbanum papam VI. predecessorem nostrum,

contra ipsum Robertum et nonnullos alios complices et fautores factos, et in diversis mundi partibus publicatos, publice adherere et favere presumpserit et presumat, et propterea dilecti filii Abbates, priores, prepositi et alii religiosi predicti ordinis in Ungarie, Dalmatie et Croatie partibus constituti, tanquam prudentes et fideles Romane ecclesie filii, consortia predicti Abbatis et aliorum professorum dicti ordinis, prefato Roberto adherentium et faventium, studeant evitare, Nos cupientes predictorum devotorum et fidelium filiorum statui et honori salubriter providere, ne pretextu scismatis, quo prefatus Abbas et eius complices involuti fore noscuntur, predicti fideles filii circa regularem observantiam et alias possint in eorum iuribus detrimenta subire, dictorum Regis et Regine in hac parte supplicationibus inclinati, Discretioni tue, de qua in Domino specialem fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus omnes et singulos Abbates, Priores, Prepositos et alios prelatos et religiosos dicti ordinis, in dictis partibus consistentes, qui secundum statuta et consuetudines eiusdem ordinis per dictum Abbatem vel de eius mandato visitari consueverunt, eorumque Monasteria, prioratus, preposituras et alia loca dicti ordinis, in eisdem partibus consistentia, prout etiam in generali Concilio eiusdem ordinis de mense Septembris proxime preterito, die videlicet beati Lamberti Episcopi et Martiris, Pontificatus nostri Anno Primo, in Romana Curia de nostro mandato celebrato, tibi similiter commissum extitit, usque ad aliud generale Capitulum eiusdem ordinis proxime celebrandum visites tam in capitibus quam in membris, Nos enim tibi in Monasteriis, prioratibus, prepositturis et aliis locis predictis corrigenda corrigendi, reformanda reformandi, etiam supplendo vices scismaticorum patrum abbatum dictorum Monasteriorum et aliorum prelatorum scismaticorum locorum huiusmodi, in dictis partibus consistentium, et in electionibus pro tempore faciendis preessendi et auctoritatem prestandi, ipsamque confirmandi et alia circa electiones huiusmodi necessaria faciendi et disponendi, que iuxta statuta et consuetudines eiusdem ordinis fieri possint et debeant, et omnia et singula alia faciendi, statuendi et ordinandi, que per Abbatem Monasterii Cisterciensis, qui est pro tempore, et generale Capitulum dicti ordinis fieri possent et deberent, nec non contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, plenam et liberam concedimus tenore presentium facultatem. Volentes et auctoritate predicta decernentes, quod tu et Abbates, Priores, Prepositi ac prelati predicti et alii quicunque religiosi dicti ordinis, in predictis partibus constituti, durante huiusmodi

scismate, in nullo teneamini seu debeatis obedire Gerhardo prefato, seu eiusdem sequacibus, adherentibus prefato Antipape quoquo modo, quinymo te et ipsos ab eorundem scismaticorum iurisdictione, dominio et potestate prorsus eximimus, et etiam liberamus, subiicientes tam te, quam etiam ipsos alios Abbates, Priores, Prepositos, prelatos et religiosos predictos illi vel illis, de quo vel quibus in generali Capitulo, de nostro mandato pro tempore congregando, ordinatum et approbatum extiterit. Non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis specialibus vel generalibus, dicto ordini, vel eius locis ab Apostolica Sede concessis, quoruncunque tenorum existant, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, que quoad hoc eis nolumus suffragari. Seu si Abbatibus, Prioribus, Prepositis, prelatis et aliis personis eiusdem ordinis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Idus Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

T. Petra R. de Curia.
M. de Monte.

CXXI.

1390. 12. Decembris.

Ladislao Abbati de Scepus, Ordinis Cisterciensis, mandat, ut subsidium, pro subveniendo necessatibus Romanæ Ecclesiæ monasteriis impositum, exigi curet.

(Regest. Bullarum. Vol. 312. f. 292.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Ladislao Abbati Monasterii beate Marie Virginis in Scepus, Cisterciensis ordinis, Strigoniensis diocesis, salutem etc. Cum in generali Capitulo tui ordinis, nuper videlicet in die sancti Lamberti Episcopi et Martiris Pontificatus nostri Anno Primo in Alma Urbe celebrato, per Capitulum ipsum fuerit ordinatum et deliberatum ac etiam deffinitum, quod idem ordo, pro subveniendo necessitatibus Romane ecclesie, et presertim hoc procelloso tempore contra hereticos et scismaticos, qui eandem ecclesiam multipliciter affligere et turbare nituntur, nobis et Camere Apostolice, per dictum ordinem, de certo caritativo subsidio, prout

dudum felicis recordationis Gregorio X. et Urbano V. Romanis Pontificibus, predecessoribus nostris, per eundem ordinem successive subventum fuerat, liberaliter debeat subveniri. Nos, cupientes, quod huiusmodi subsidium, a quibuscumque monasteriis et locis et personis utriusque sexus eiusdem ordinis, quacumque preeminentia vel dignitate nitentibus, in Ungarie, Dalmatie et Croatie partibus, in quibus generalis visitator certo modo et in dicto generali Capitulo deputatus existis, consistentibus, ad subveniendum citius dictis necessitatibus, quod etiam Nos presentium tenore imponimus, celeriter imponatur ac etiam exigatur, Discretioni tue, per apostolica scripta, mandamus, quatenus, visis presentibus, idem subsidium, singulis Monasteriis, locis et personis predictis, iuxta impositionem eis factam tempore dicti Urbani predecessoris, exigendum et levandum per Collectores fructuum et proventuum Camere Apostolice debitorum in illis partibus deputatos, infra certum terminum, per te, sub coactione debita, prefigendum, eisdem personis, auctoritate apostolica, imponere non postponas. Nos enim tibi faciendi premissa et eisdem Collectoribus personas easdem ad dandum et solvendum sibi vel alicui ipsorum recipientibus nostro et dicte Camere nomine huiusmodi subsidium, pro rata Monasteria et loca ac personas easdem secundum tuam impositionem huiusmodi contingente, ex parte nostra caritative hortandi ac monendi et requirendi, easque ad id, si opus fuerit, et alios etiam contradictores quoslibet et rebelles, per censuram ecclesiasticam et alia iuris remedia, appellatione postposita, compellendi, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, non obstantibus quibuscumque privilegiis, indulgentiis et litteris apostolicis specialibus vel generalibus, quorumcumque tenoris existant, ordini, Monasteriis, ac locis et personis predictis a Sede Apostolica, sub quacumque forma vel expressione verborum, concessis, etiam si de ipsis et totis eorum tenoribus de verbo ad verbum esset in nostris litteris specialis et expressa mentio facienda, per que presentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus earum impediri valeat quomodolibet vel differri, et que quoad hoc eis nolumus aliquatenus suffragari, plenam et liberam concedimus auctoritate apostolica tenore presentium facultatem; eisdem etiam Collectoribus et eorum cuilibet quittandi et absolvendi plenarie de receptis plenam et liberam facultatem huiusmodi concedentes. Volumus autem quod omnes et singulas pecuniarum summas, quas Collectores ipsi de huiusmodi subsidio percipient, quamprimum poterunt, ad predictam Cameram tute et caute ac fideliter transmittant, quodque tu de singulis impositionibus et iidem Collectores de singulis eisdem

summmis confici faciatis publica instrumenta et in vestris quaternis poni, ut de ipsis computum et rationem fidelem possitis reddere Camere supradicte. Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Idus Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

T. Petra. R. de Curia.
R. de Wesse.

CXXII.

1390. 12. Decembris.

Abbatibus de Czikador et Pelisio Ordinis Cisterciensis iubet, ut subsidium monasteriis impositum exigi curent.

(Regest. Bullarum Vol. 312. f. 291.)

Bonifacius etc. Dilectis filiis de Sikador et de Pelisio Cisterciensis Ordinis Monasteriorum Abbatibus salutem etc. Cum in generali Capitulo vestri ordinis . . . fuerit ordinatum, . . . quod idem ordo . . . nobis et Camere Apostolice, per dictum ordinem, de certo caritativo subsidio . . . debeat subveniri; Nos cupientes, quod huiusmodi subsidium a quibuscumque Monasteriis . . . in Polonia, Prussia, Sclauonia, Liuonia et Cracovia, ac partibus circumvicinis, in quibus generales visitatores in dicto Capitulo . . . deputati estis . . . exigatur, . . . mandamus, quatenus . . . idem subsidium . . . iuxta impositionem eis factam . . . imponere non postponatis. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum II. Idus Decembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

T. Petra. R. de Curia.
Ja. de Bononia.

CXXIII.

1390. 12. Decembris.

Stephano Jacobi Lectoratum in ecclesia Colocensi confert.

(Anni II. Liber XXIV. f. 271.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Jacobi, Lectori ecclesie Colocensis, salutem etc. . . . Dudum siquidem omnes dignitates . . . ceteraque bene-

ficia ecclesiastica, . . . quorumcumque Succollectorum fructuum et proventuum Camere Apostolice debitorum tunc vacantia et imposterum vacatura, collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum lectoratus ecclesie Colocensis, quem quondam Johannes dictus Schemere ipsius ecclesie Lector, dum viveret, obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui ipsum lectoratum tunc obtinens fructuum et proventuum huiusmodi Succollector in civitate et diocesi Colocensi existens, et extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, . . . volentes tibi . . . gratiam facere specialem, teque in eadem ecclesia amplius honorare lectoratum predictum . . . cuius fructus . . . viginti marcharum argenti fini . . . valorem annuum, ut asseris, non excedunt, . . . tibi conferimus. . . . Non obstantibus, . . . quod in dicta canonicatum cum prebenda, quorum fructus. . . . quinque marcharum argenti fini . . . valorem annuum, ut asseris, non excedunt, et in Waciensi ecclesiis, sub expectatione prebende, canonicatum nosceris obtinere. Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Decembris Anno Secundo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Salvatoris Saxardiensis ac Preposito ecclesie sancti Laurentii de Haj, Quinqueecclesiensis et Colocensis diocesis. . . . Datum ut supra.

CXXIV.

1390. 16. Decembris.

Casu, quo Andreas Garazda, Præpositus de Hanta, propter homicidii crimen beneficio privaretur, Johanni Meysi Præposituram confert.

(Anni II. Liber XV. f. 108 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio magistro Jacobo Floriani, Cappellano nostro et causarum Palatii Apostolici auditori, salutem etc. Vite ac morum honestas, aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Johannes Meysi, canonicus Vesprimiensis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem ad audientiam felicis recordationis Urbani pape VI., predecessoris nostri, deducto, quod Andreas Garasda, prepositus ecclesie sancti Michaelis de Hanta, Vesprimiensis diocesis, dyabolico

spiritu instigatus quondam Lucam priorem prioratus in Nadasd, ordinis sancti Augustini, dicte diocesis, et Stephanum de Villa Wislas ac Jacobum de Polonia laicos crudeliter interfici mandaverat et fecerat, dictus predecessor attendens, quod, veris existentibus premissis, prefatus Andreas prepositura dicte ecclesie, quam tunc temporis obtinebat, reddiderat se indignum, Venerabili fratri nostro . . . Episcopo Jauriensi per quasdam, *(sic)* ut vocatis dicto Andrea et aliis, qui forent evocandi, super premissis summarie simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii inquireret auctoritate apostolica diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi inveniret prefatum Andream huiusmodi homicidia vel ipsorum aliquod perpetrasse, eundem Andream prefata prepositura auctoritate predicta sententialiter privaret et amoveret realiter ab eadem; et per alias suas litteras eidem Episcopo dedit in mandatis, ut si dictum Andream prefata prepositura per eum privari contingeret, ut prefertur, eandem preposituram dilecto filio Andree Petri, Preposito ecclesie sancti Adalberti Jauriensis, eadem auctoritate conferret. . . . Et deinde, . . . antequam ad executionem predictarum litterarum procederetur, prefatus Andreas Garasda, ut executionem earundem litterarum impediret, causam, quam super dicta prepositura et eius occasione contra prefatum Andream Petri movere intendebat, tibi per dictum predecessorem audiendam committi obtinuit, et fine debito terminandam, et subsequenter, postquam tu ad nonnullos actus in causa huiusmodi inter partes ipsas processeras, idemque Andreas Petri dubitaret, quod tu super homicidiis predictis, vigore huiusmodi commissionis, contra prefatum Andream Garasda inquirere non posses, predecessor ille totum illud, quod dicto Episcopo circa premissa commissum fuit audiendum et fine debito terminandum, successive tibi commisit, ut dictum Andream Garasda, qui tunc a Romana Curia absens erat, extra eandem Curiam et ad partes citari facere posses, non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Curiam ipsam legitime devoluta et apud eam tractanda et finienda non esset. Cum autem, . . . premissis sic precedentibus, prefatus Andreas Petri preposituram dicte ecclesie sancti Adalberti, que dignitas est, tunc vacantem, auctoritate apostolica sibi collata, fuerit pacifice assecutus, Nos, qui dicto predecessore sublato de medio, divina favente clementia, ad apicem summi apostolatus fuimus assumpti, omnibus auditoribus causarum dicti Palatii commisimus, ut omnes et singulas causas, quas ex commissionibus predicti predecessoris audiebant, in eo statu, in quo tempore obitus ipsius predecessoris remanserant, coram eis resumerent, easque audirent et fine debito terminarent, iuxta tenores

commissionum factarum eisdem, et ne huiusmodi homicidia vel aliquod ipsorum, si per dictum Andream Garasda, seu de ipsius mandato, fuerint seu fuerit, ut premittitur, perpetrata, impunita permaneant, providere, dictoque Johanni . . . specialem gratiam facere volentes, Discretioni Tue . . . mandamus, quatenus, si . . . prefatum Andream Garasda predicta prepositura ecclesie sancti Michaelis per te privari et ab ea amoveri contigerit, ut prefertur, eandem preposituram ecclesie sancti Michaelis, cuius fructus, . . . ducentorum et quadraginta florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, cum illam, ut premittitur, vacare contigerit, etiamsi prepositura ipsa curata et in eadem ecclesia sancti Michaelis principalis dignitas fuerit, et ad eam consveverit quis per electionem assumi, . . . dicto Johanni . . . conferas. . . . Non obstantibus, . . . quod idem Johannes, ut asserit, canonicatum et prebendam Vesprimiensis obtinet, et super canonicatu et prebenda Jauriensis, *(sic)* quorum omnium fructus . . . octuaginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, in dicto Palatio litigat, et nos nuper sibi de Vesprimiensis et Jauriensis predictarum dignitatibus seu personatibus vel officiis vacantibus vel vacaturis, necnon de canonicatu sub expectatione prebende ac dignitatis vel personatus seu officii Agriensis ecclesiarum generose concessimus provideri. Volumus autem, prout idem Johannes etiam id sponte voluit, quod, quamprimum ipse vigore presentium prefatam preposituram ecclesie sancti Michaelis fuerit pacifice assecutus, huiusmodi concessionum gratie et quecumque inde secuta sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoseptimo Kalendas Januarii Anno Secundo.

CXXV.

1390. 17. Decembris.

Petro Blasii Canonicatum in ecclesia Posoniensi confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 306)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Concordiensi et dilectis filiis Abbati Monasterii Scotorum Wiennensis, Pataviensis diocesis, ac Preposito ecclesie Posoniensis, Strigoniensis diocesis, salutem etc. . . . Vite ac morum probitas, . . . super quibus apud nos dilectus filius Petrus Blasii,

alias dictus Durchelz, Rector parochialis ecclesie in Durchelz, Olomucensis diocesis, . . . commendatur, nos inducunt, ut sibi reddamur gratia liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ac custodia ecclesie Posoniensis et Capella sine cura sancti Ladislai sita prope eandem ecclesiam, Strigoniensis diocesis, quos quondam Bernardus, dictus Bernaldus, canonicus Ecclesie Posoniensis et Rector Capelle predictorum, dum viveret, obtinebat per ipsius Bernaldi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, Nos volentes dicto Petro . . . gratiam facere specialem, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam ac custodiam nec non Capellam predictos, que quidem custodia simplex officium est, et cuius ac eorundem canonicatus et prebende nec non Capelle fructus . . . triginta marcarum argenti puri . . . annuum valorem non excedunt, . . . assignare curetis. Non obstantibus, . . . quod dictus Petrus, ut asserit, predictam parochialem Ecclesiam, cuius viginti sex, obtinet *(sic)* ac dudum sibi de Capella sancti Petri Snoymensis, nec non Brunensis, dicte Omolucencis diocesis, quorum sedecim marcharum argenti puri fructus, redditus et proventus, secundum predictam extimationem, valorem annuum non excedunt, concessum ac de prefate Posoniensis ecclesiarum canonicatibus et prebendis, . . . per litteras apostolicas mandatum fuit, ac nos nuper sibi de uno ad Venerabilis fratris nostri Episcopi Olomucensis et dilectorum filiorum Prepositi, Decani et Capituli canonicorum ecclesie Olomucensis . . . nec non de duobus aliis beneficiis ecclesiasticis sine cura ad Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Pragensis collationem pertinentibus, vacantibus vel vacaturis, gratiose concessimus provideri. Volumus autem, quod quamprimum dictus Petrus vigore presentium predictos canonicatum et prebendam ecclesie Posoniensis fuerit pacifice assecutus, predicta concessionis gratia de prefatis aliis canonicatu et prebenda eiusdem ecclesie Posoniensis sit cassa et irrita. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sextodecimo Kalendas Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CXXVI.

1390. 18. Decembris.

Nicolao Matthæi de Csegöd beneficium in diœcesi Transsilvana confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 127 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao Mathei de Chegewd, clerico Transilvane diocesis, salutem etc. . . . Volentes . . . tibi gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, cuius fructus, . . . si cum cura viginti quinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, ad . . . dispositionem . . . Episcopi Transilvani et . . . Prepositi et canonicorum ecclesie Transilvane . . . pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non existat, . . . conferendum tibi donationi apostolice reservamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoquinto Kalendas Januarii Anno Secundo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Transilvano et dilectis filiis Preposito ecclesie sancti Michaelis de Albajulia, Transilvane diocesis, ac Archidiacono de Torda in eadem ecclesia. . . . Datum ut supra.

CXXVII.

1390. 18. Decembris.

Thomam Nicolai, Ordinis Præmonstratensis Canonicum, in Capellanorum Pontficiorum numerum recipit.

(Regest. Bullarum. Vol. 312. f. 293.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Thome Nicolai, canonico Monasterii sancte Margarete de Nagatwan, Premonstratensis ordinis, Agriensis diocesis, Capellano nostro salutem etc. Virtutibus clarus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum XV. Kalendas Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

P. de Montella. Io. de Sanctoiusto.

G. Gregorii.

CXXVIII.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus ecclesiam in Leibicz, Strigoniensis diœcesis, visitantibus indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XV. f. 189 t.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . salutem etc. Gloriosus Deus in sanctis suis et in ipsorum glorificatione congaudens in veneratione beate Marie semper Virginis eo iucundius delectatur, quo ipsa, utpote mater eius, affecta meruit altius sanctis ceteris in celestibus collocari. Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia beate Marie Virginis de Lewbitz, Strigoniensis diocesis, congruis honoribus frequentetur, . . . omnibus vere penitentibus, . . . qui in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie festivitatibus et in Dedicatione ipsius ecclesie prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad eius fabricam manus porrexerint adiutrices, . . . duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii. Anno Secundo.

CXXIX.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus ecclesiam in Villarusslini. Strigoniensis dioecesis, visitantibus indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XV. f. 190.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus . . . salutem etc. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi a suis fidelibus digne et laudabiliter serviatur, bene servientibus sibi multa maiora retribuat, quam valeant promereri, nichilominus tamen desiderantes Domino reddere populum acceptabilem et bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum ei, quasi quibusdam allecturus muneribus, indulgentiis videlicet et remissionibus, invitamus, ut exinde reddantur divine gratie aptiores. Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia sancte Agnetis de Villarusslini, Strigoniensis diocesis, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles . . . ad eius

fabricam manus porrigant adiutrices, . . . omnibus vere penitentibus, . . . qui in dicte sancte Agnetis festivitate et in Dedicatione ipsius ecclesie prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad eius fabricam manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii Anno Secundo.

CXXX.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus ecclesiam in Villalatina, Strigoniensis diœcesis, visitantibus indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XV. f. 190 t.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . salutem etc. . . . Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia Sancti Spiritus de Villa latina, Strigoniensis diocesis, congruis honoribus frequentetur, . . . omnibus vere penitentibus, qui in dicti Sancti Spiritus festivitate et in Dedicatione ipsius ecclesie prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad eius fabricam manus porrexerint adiutrices, . . . duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CXXXI.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus altare S. Spiritus in ecclesia s. Mariæ Magdalenæ de Buda visitantibus indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XV. f. 191.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . salutem etc. . . . Cupientes igitur, ut altare Sancti Spiritus situm in parochiali ecclesia beate Marie Magdalene de Buda, Vesprimiensis diocesis, congruis honoribus frequentetur . . . omnibus vere penitentibus, qui in dicti Sancti Spiritus festivitate et in Dedicatione ipsius altaris prefatum altare devote visitaverint annuatim, et ad eius fabricam manus porrexerint adiutrices, . . . duos annos

et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii Anno Secundo.

CXXXII.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus altate s. Lucæ in ecclesia cathedrali Waradini visitantibus indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XV. f. 19 1.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . salutem etc. Cupientes igitur, ut altare sancti Luce Evangeliste situm in ecclesia Waradiensi congruis honoribus frequentetur, omnibus . . . vere penitentibus, qui in dicti sancti Luce festivitate et in Dedicatione ipsius altaris prefatum altare devote visitaverint . . . annuatim, et ad eius fabricam manus porrexerint adiutrices, duos annos et totidem quadragenas de iniunctis penitentiis misericorditer relaxamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii Anno Secundo.

CXXXIII.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus ecclesiam in Mikloschirken, Csanadiensis diœcesis, visitantibus indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XV. f. 191 t.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . salutem etc. . . . Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia sancti Nicolai in Mikloschirken, Cenadiensis diocesis, . . . congruis honoribus frequentetur, . . . omnibus vere penitentibus, qui in dicti Nicolai festivitate et in Dedicatione ipsius ecceesie prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad eius fabrieam manus porrexerint adiutrices, duos annos et totidem quadragenas de iniunctis penitentiis misericorditer relaxamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CXXXIV.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus Capellam S. Georgii in Lőcse, Strigoniensis diœcesis, visitantibus indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XXIV. f. 198.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . Cupientes igitur ut Capella sancti Georgii, in latere parochialis ecclesie sancti Jacobi de Lewcse, Strigoniensis diocesis, congruis honoribus frequentetur, et ut Christifideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem Capellam, et ad eius fabricam manus porrigant adiutrices, . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui in dicti sancti Georgii festivitate et in Dedicatione ipsius Capelle prefatam Capellam devote visitaverint annuatim, et ad eius fabricam manus adiutrices porrexerint, . . . duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CXXXV.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus altare s. apostolorum Petri et Pauli in ecclesia s. Jacobi de Lőcse. Strigoniensis diœcesis, visitantibus indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XXIV. f. 199.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. . . . Cupientes igitur, ut altare beatorum apostolorum Petri et Pauli situm in parochiali ecclesia beati Jacobi apostoli de Lewche, Strigoniensis diocesis, congruis honoribus frequentetur etc. Volumus autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii Anno Secundo.

(Cætera desunt.)

CXXXVI.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus ecclesiam in Halas, Colocensis diocesis, visitantibus indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XXIV f. 199)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia beate Marie Virginis de Hallas, Colocensis diocesis, congruis honoribus frequentetur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

(Cætera desunt.)

CXXXVII.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus visitantibus ecclesiam in Valthida, Transsilvanæ diœcesis, indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XXIV. f. 199.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia sancti Andree Apostoli de Valtudia, Transilvanensis diocesis, congruis honoribus frequentetur. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

(Cætera desunt.)

CXXXVIII.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus visitantibus capellam in Villastoiani, Strigoniensis diœcesis, indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XXIV. f. 199.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . Cupientes igitur, ut Capella sancti Antonii de Villastoiani, Strigoniensis diocesis, congruis, hono-

ribus frequentetur etc. Volumus autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii Anno Secundo.

(Cætera desunt.)

CXXXIX.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus visitantibus ecclesiam in Forchtenau, Jauriensis dioecesis, indulgentias concedit.

(Anni II, Liber XXIV. f. 199 t.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia beate Marie Virginis de Forchtenaw, Jauriensis diocesis, congruis honoribus frequentetur. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

(Cætera desunt.)

CXL.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus visitantibus ecclesiam in Martinsdorf, Jauriensis dioecesis, indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XXIV. f. 199 t.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia sancti Martini in Mertinsdorff, Jauriensis diocesis, congruis honoribus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

(Cætera desunt.)

CXLI.

1390. 21. Decembris.

Fidelibus visitantibus ecclesiam in Semogyon, Transsilvanæ diocesis, indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XXIV. f. 199 t.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia beate Marie Virginis de Semogion Transilvanensis diocesis congruis honoribus frequentetur. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo. (Cætera desunt.)

CXLII.

1390. 22. Decembris.

Sigismundo Regi et Mariæ Reginæ facultatem concedit, ut Monasterium Monialium O. S. Claræ in Civitate Sibinicensi erigere possint.

(Anni II. Liber XXIV. f. 64 t.)

Bonifacius etc. Carissimo in Christo filio Sigismundo Regi et Carissime in Christo filie Marie, eius uxori, Regine Ungarie Illustribus salutem etc. Magne devotionis et sinceritatis affectus, quem ad nos et Romanam ecclesiam, non sine magno laudis preconio, gerere comprobamini, non indigne meretur, ut votis vestris, illis presertim, que ex fervore devotionis prodire conspicimus, et per que divinus cultus adaugeri valeat, quantum cum Deo possumus, favorabiliter adiuvamus. Exhibita siquidem nobis pro parte vestra petitio continebat, quod cum in Civitate Sibinicensi, infra fines Regni vestri, quedam ecclesia, sub vocabulo sancti Salvatoris sit constructa, apud quam nonnulle mulieres, non tamen alicuius regule approbate professe, resident, vosque zelo devotionis accensi ac etiam cupientes terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare, de bonisque vobis a Deo collatis dictam ecclesiam in

[1] Fragmentum huius bullæ ediderunt: Farlati: Illyricum Sacrum. IV. p. 464. Fejér: Codex Diplom. Tom. X. Vol. VIII. p. 329.

Monasterium, sub vocabulo beate Catherine, ordinis sancte Clare, cum campanili, campana, cimiterio, domibus, ortaliciis et aliis necessariis officinis erigere, ipsumque Monasterium pro viginti Monialibus cum Abbatissa dicti ordinis, que Domino possint perpetuo famulari, sufficienter dotare, proponatis et etiam intendatis, pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis premissa faciendi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi vestrum pium propositum in Domino plurimum commendantes, ac etiam cultum divinum incensis desideriis augeri nostris temporibus cupientes, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis, ut dictam ecclesiam in huiusmodi Monasterium, ut prefertur, erigi ac edificari et construi facere, cum campanili, campana, cimiterio, domibus, ortaliciis et officinis huiusmodi, nec non Monasterium ipsum dotare pro huiusmodi viginti Monialibus et Abbatissa ac earum Ministris ac dictum Monasterium cum iuribus et pertinentiis suis dicto ordini sancte Clare donare libere et licite valeatis, Diocesani loci et cuiuscumque alterius super hoc licentia minime requisita, auctoritate apostolica tenore presentium indulgemus, iure tamen parochialis ecclesie et cuiuscumque alterius in omnibus semper salvo. Sic tamen, quod mulieres predicte, si in dicto Monasterio ordinem ipsum profitendo voluerint perpetuo Domino reddere famulatum et ad id fuerint ydonee, in Moniales et sorores eiusdem Monasterii recipiantur et etiam admittantur, si vero huiusmodi mulieres, vel earum aliqua seu alique noluerit aut noluerint dictum ordinem profiteri, nichilominus de fructibus, redditibus et proventibus ipsius ecclesie, si qui sint necessaria, dum vixerint, ministrentur eisdem. Et insuper, cum predictum Monasterium erectum et sufficienter per vos dotatum fuerit, ut prefertur, volumus, quod Abbatissa et Moniales ipsius Monasterii, pro tempore existentes, omnibus privilegiis, immunitatibus et libertatibus, Monialibus et earum Prelatis dicti ordinis in aliis Monasteriis atque locis eiusdem ordinis degentibus, ab Apostolica Sede concessis, fundatis sub vocabulo sancte Clare et ordinis predicti, gaudeant et utantur, constitutionibus apostolicis et aliis contrariis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo etc. nostre concessionis et voluntatis infringere etc. Si quis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Undecimo Kalendas Januarii Anno Secundo.

CXLIII.

1390. 23. Decembris.

Cardinali Landulfo Canonicatum in ecclesia Agriensi confert.

(Anni II. Liber XVII. f. 230.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Barensi et Episcopo Waradiensi ac Preposito de Veteribuda, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Dum exquisitam dilecti filii nostri Landulfi sancti Nicolai in Carcere Tuliano diaconi Cardinalis industriam diligenter attendimus, . . . dignum reputamus, . . . ut illa ipsum gratia favorabiliter prosequamur, per quam suis opportunitatibus pro expensarum oneribus, que ipsum subire oportet, facilius supportandis valeat commodius providere. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Agriensis ac archidiaconatus de Borsova in eadem ecclesia, quos quondam Johannes, dictus Nemet, in eadem ecclesia canonicus eiusdem ecclesie Agriensis et archidiaconus de Borsova in eadem ecclesia, dum viveret, obtinebat post eiusdem Johannis obitum . . . vacet ad presens, Nos volentes eidem Cardinali, ut huiusmodi expensarum onera facilius supportare valeat, de alicuius subventionis auxilio providere, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus dictos canonicatum et prebendam ac archidiaconatum, quorum fructus, . . . quadraginta florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, . . . eidem Cardinali auctoritate nostra conferre et assignari curetis. . . . Datum apud Sanctum Petrum Decimo Kalendas Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CXLIV.

1390. 24. Decembris.

Facultatem concedit confessorem eligendi duabus viduis.

(Anni II. Liber XV. f. 246 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Georgio Abbati Monasterii de Tykonio et dilectis in Christo filiabus Agneti, relicte quondam Johannis vidue, ac Agneti, uxori Jacobi laici, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Devo-

tionis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nono Kalendas Januarii Anno Secundo.

(Cætera desunt.)

CXLV.

1390. 24. Decembris.

Facultatem Confessorem eligendi concedit presbytero Agriensis diocesis.

(Anni II. Liber XV. f. 246 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano dicto Gleczel rectori parochialis ecclesie sancte Elizabeth in Kasdhelpo, Agriensis diocesis, salutem ect. Provenit ex tue devotionis etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nono Kalendas Januarii Anno Secundo.

(Cætera desunt.)

CXLVI.

1390. 28. Decembris.

Antonio de Ponte, causarumPalatii Apostolici auditori mandat, ut omne ius, quod cendam Henricus Friderici ad canonicatum ecclesiæ Waradiensis habuit, Arnoldo Valentini in lite coram se mota conferat.

(Anni II. Liber XXIV. f. 18.)

Bonifacius etc. Dilecto filio magistro Antonio de Ponte, Capellano nostro, et causarum Palatii Apostolici Auditori, salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . quibus dilectus filius Arnoldus Valentini, clericus Agriensis diocesis, . . . commendatur, . . . nos inducunt. . . . Exhibita siquidem nobis pro parte dicti Arnoldi petitio continebat, quod orta dudum inter ipsum ex parte una, et dilectum filium Brictium Johannis, presbiterum Waradiensis diocesis, et quondam Henricum Friderici, Rectorem altaris sancti Sigismundi, siti in ecclesia Waradiensi, super canonicatu et prebenda dicte ecclesie, de quibus tunc per obitum quondam Nicolai Egidii ipsius ecclesie Canonici, extra Romanam Curiam defuncti, vacantibus, Arnoldus, vigore literarum apostolicarum sibi gratiose concessarum, pro-

visum fuisse canonice, dictosque Brictium et Henricum gratie et provisioni huiusmodi se, contra iustitiam, opposuisse ac impedivisse et fecisse quominus gratia et provisio huiusmodi debitum sortite fuerint et sortiantur effectum, prefatumque Henricum se in canonicatu et prebenda predictis intrusisse illosque occupasse et detinuisse indebite occupatos, fructus percipiendo ex eisdem. Brictius vero et Henricus predicti et quilibet eorum canonicatum et prebendam predictos ad se de iure spectare asserebant, prout iidem Arnoldus et Brictius adhuc asserunt. Materia questionis et causa huiusmodi ad Sedem Apostolicam legitime introducta, Nos causam ipsam tibi, ad instantiam dicti Arnoldi audiendam commisimus fine debito terminandam, tuque in causa ipsa inter partes ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, diceris processisse. Cum autem, sicut accepimus, dictus Henricus in possessione canonicatus et prebende predictorum existens, lite huiusmodi sic indecisa pendente, extra predictam Curiam extiterit vita functus, Nos statum cause huiusmodi habentes presentibus pro expresso, et ne dicto Arnoldo in causa ipsa novus adversarius surrogetur providere sibique premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus eundem Arnoldum, dummodo ipse in canonicatu et prebenda predictis intrusus non fuerit, in omni iure et ad omne ius, si quod prefato Henrico in predictis canonicatu et prebenda, quorum fructus, redditus et proventus septuaginta florenorum auri, secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Arnoldus asserit, non excedunt, seu ad eos tempore sui obitus quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra, surroges, dictumque ius sibi conferas, et provideas etiam de eodem, ipsumque Arnoldum ad huiusmodi ius et eius prosecutionem et defensionem in eo statu, in quo prefatus Henricus existebat, et si viveret, deberet et posset admitti et ad possessionem dictorum canonicatus et prebende, in qua eciam idem Henricus, ut prefertur, existebat, admittas et admitti facias, ut est moris, et nichilominus canonicatum et prebendam predictos, si, ut premittitur, vacant, et tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, eidem Arnoldo, . . . conferas et, assignes. . . . Non obstantibus, . . . quod dudum eidem Arnoldo, ut asserit de canonicatu sub expectatione prebende et dignitatis, personatus vel officii ecclesie Agriensis gratiose concessimus provideri. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Kalendas Januarii Anno Secundo.

CXLVII.

1391. 2. Januarii.

Guillelmo Carbono Canonicatum in ecclesia B. Mariæ V. de Albaregali confert.

(Anni II. Liber CLXXX. l. 124.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Guillelmo Carbono, canonico ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, Notario nostro, salutem etc. Grata tue devotionis obsequia, que nobis et Apostolice Sedi, hactenus impendisti et adhuc sollicitis studiis impendere non desistis, nec non nobilitas generis, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis ex virtutum merita, quibus personam tuam fidedignorum testimoniis juvari percepimus, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura vel sine cura, quorumque Collectorum et Succollectorum fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum, tunc vacantia et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis . . . contigerit attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie beate Marie oppidi Alberegalis ac parochialis ecclesia sancti Dominici extra muros ejusdem oppidi, Vesprimiensis diocesis, quos quondam Petrus de Somagywar canonicus beate Marie et Rector parochialis ecclesiarum predictarum, dum viveret, obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui fructuum et proventuum predicte Camere debitorum in Civitate Vesprimiensi et diocesi predicta Succollector existens extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, . . . Nos volentes tibi, qui, ut asseritur, de nobili genere procreatus existis, . . . gratiam facere specialem, canonicatum et prebendam ac parochialem ecclesiam predictos, quorum fructus . . . ducentorum florenorum auri . . . valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, sive premisso sive alio quovismodo . . . vacent conferimus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Januarii Anno Secundo.

Simili modo. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Trauensi et Episcopo Vesprimiensi ac dilecto filio Abbati Monasterii sancti Aniani de Thikonio, Vesprimiensis diocesis, . . . Datum ut supra.

CXLVIII.

1391. 4. Januarii.

Magistro Laurentio Dominici de Terebes Magistratum altaris b. Catharinæ V. in ecclesia Waradiensi confert.

(Anni II. Liber CLXXX. l. 164.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Mônasterii sancti Stephani Prothomartiris de Promontorio per Prepositum soliti gubernari, ac ecclesie beate Marie Virginis minoris in Castro Waradiensi Prepositis salutem etc. Grata dilecti filii Magistri Laurentii Dominici de Terebes, canonici Waradiensis, Capellani nostri, devotionis obsequia, que nobis et Apostolice Sedi hactenus impendit, et adhuc sollicitis studiis impendere non desistit, nec non vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dictus Laurentius fidedigno commendatur testimonio, Nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, magistratus altaris beate Catherine virginis, siti in ecclesia Waradiensi, et perpetuum beneficium, Prebendarie nuncupatum, canonice unita, que quondam Georgius Slavi, dum viveret, obtinebat, per ipsius Georgii obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, vacaverint et vacent ad presens, Nos volentes dicto Laurentio qui presbyter est, premissorum obsequiorum et suorum meritorum intuitu, gratiam facere specialem Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . magistratum et beneficium predicta, que sine cura sunt, et quorum fructus . . . viginti sex marcharum argenti . . . valorem annuum, ut idem Laurentius asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo . . . vacent, . . . eidem Laurentio auctoritate nostra conferre et assignare curetis. Non obstantibus, ... quod dictus Laurentius, ut asserit, super prepositura in sancti Laurentii de Hay, Colocensis diocesis, cujus quinquaginta marcharum argenti, in Palatio Apostolico litigat, et canonicatum et prebendam, quorum septuaginta florenorum auri fructus . . . valorem annuum non excedunt, ac magistratum altaris sancti Luce evangeliste in eadem Waradiensi ecclesia siti, obtinet, et quod ei de dignitate vel personatu seu officio vacante vel vacaturo in dicta Waradiensi ecclesiis, etiamsi dignitas hujusmodi curata et electiva ac major post pontificalem in dicta Waradiensi ecclesia fuerit, gratiose concessimus

provideri. Volumus autem, quod prefatus Laurentius, quamprimum magistratum et beneficium predicta vigore presentium fuerit pacifice assecutus, magistratum altaris sancti Luce, quem, ut prefertur, obtinet, prout ad dimittendum illum se sponte obtulit, et prepositurам predictos, super qua, ut prefertur, litigat, si illum evincat et assequatur, et quos ex tunc vacare decernimus, omnino dimittere, alioquin etiam omni juri sibi in dicta prepositura seu ad eam quomodolibet competenti cedere teneatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Nonas Januarii Anno Secundo.

CXLIX.

1391. 27. Decembris

Antonio Nicolai de Harsan Canonicatum in ecclesia Bachiensi confert.

(Anni I. Liber VI. f. 30.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Colocensis salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Antonium Nicolai de Harsan, clericum Quinqueecclesiensis diocesis, qui, ut asserit, nullum beneficium ecclesiasticum est assecutus, . . . favore prosequi gratioso, Discretioni tue, per apostolica scripta, mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Antonium ad hoc ydoneum esse reppereritis, . . . eidem Antonio de canonicatu ecclesie Bachiensis, provideas. Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Kalendas Januarii Anno Secundo.

CL.

1391. 6. Januarii.

Blasio Egidii beneficium in diœcesi Vesprimiensi confert.

(Anni II. Liber XVIII. f. 108.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito beate Marie Virginis Albaregalis, Wesprimiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Blasium Egidii, canonicum Wesprimiensis ecclesie, . . . favore prosequi gratioso Discretioni tue . . . mandamus, quatenus . . . beneficium ecclesiasticum cuius

fructus, . . . si cum cura vingintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, ad collationem . . . Episcopi et . . . Capituli Wesprimiensis . . . pertinens . . . reserves . . . Non obstantibus, . . . quod dictus Blasius canonicatum et prebendam ecclesie predicte noscitur obtinere . . . Datum apud Sanctum Petrum Octavo Idus Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLI.

1391. 6. Januarii.

Adalberto Emerici beneficium in diœcesi Agriensi confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 124.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Adalberto Emerici clerico, Agriensis diocesis, salutem etc. ... Volentes tibi . . . gratiam facere specialem, beneficium eclesiasticum, cum cura vel sine cura, cujus fructus, . . . si cum cura vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, ad . . . dispositionem . . . Episcopi Agriensis et . . . Prepositi et Capituli Agriensis . . . pertinens, etiam si in ipsa ecclesia maior post pontificalem fuerit, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non existat, . . . conferendum tibi . . . donationi apostolice reservamus . . . Non obstantibus, . . . quod nuper tibi, ut asseris, de canonicatu, sub expectatione prebende, dicte ecclesie Agriensis gratiose concessimus provideri. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Octavo Idus Januarii Anno Secundo.

Simili modo. Venerabili fratri nostro Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii de Sary ac plebano plebis de Genges, Agriensis diocesis, . . . Datum ut supra.

CLII.

1391. 6. Januarii.

Demetrio Gregorii Canonicatum in ecclesia Quinqueecclesiensi confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 203 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Demetrio Gregorii, canonico Quinqueecclesiensi, salutem etc. Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Quinquecclesiensis . . . tibi conferimus . . . Non obstantibus, . . . quod, ut asseritur, super canonicatu et prebenda ecclesie Colocensis in Palatio Apostolico nosceris litigare . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Octavo Idus Januarii Anno secundo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Benedicti Pech Waradiensis ac Preposito ecclesie sancti Petri de Posega, Quinqueecclesiensis diocesis. Datum ut supra.

CLIII.

1391. 7. Januarii.

Stephano Ladislai Canonicatum in ecclesia Waradiensi confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 207 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Ladiszlai, canonico Waradiensi, salutem etc . . . Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Waradiensis . . . tibi . . . conferimus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Idus Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Preposito sancti Stephani de Promontorio, Waradiensis diocesis, ac Cantori Waradiensis ecclesiarum . . . Datum ut supra.

CLIV.

1391. 9. Januarii.

Valentino Cardinali Episcopo Quinqueecclesiensi mandat, ut Nicolai de Gara palatini armigeros complices, qui Præpositum ecclesiæ Albaeregalis captivarunt et spoliarunt, excommunicatos denunciat.

(Anni II. Liber XV. f. 61 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Valentino tituli sancte Sabine presbitero Cardinali in Regno Ungarie commoranti salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Johannis Zuden *(sic)*[1] prepositi ecclesie beate Marie Albe Regalis, Vesprimiensis diocesis, petitio continebat, quod cum olim ipse de loco Albaregalis, dicte diocesis, versus quendam locum, ubi clare memorie Elizabeth regina Ungarie tunc residebat, pro certis suis negotiis penes eandem reginam expediendis, transiret, quondam Nicolaus de Gara palatinus regni Ungarie associatis sibi Nicolao Johannis Trutheyl de Neuna et Franchone Konye et Demetrio dicto Paruo domicellis Quinqueecclesiensis, Agriensis et Cenadiensis diocesum, atque nonnullis aliis suis in hac parte complicibus, in eundem prepositum et suos familiares ac quosdam alios, tunc secum transeuntes, absque rationabili causa, atque hostiliter, necnon more predonico irruentes, ipsum prepositum quibusdam pecuniarum summis, necnon novem equis, qui quingentos, et etiam uno curru, in quo ipse prepositus tunc vehebatur et nonnullis vasis argenteis et aureis atque aliis iocalibus ac rebus et bonis mobilibus diversis ad ipsum prepositum spectantibus, et que ipse prepositus tunc penes se iuxta decentiam sui status in eodem curru deferri fecit, qui mille ducatos auri et ultra communi extimatione valebant, nequiter spoliavit et secum abduxit in predam, ac etiam palatinus necnon armigeri et complices predicti premissis malis non contenti, sed ad peiora aspirantes, eundem prepositum, non absque manuum iniectione in eum, Dei timore postposito, ausu sacrilego temere violentare ceperunt, ipsumque secum duxerunt et detinuerunt diutius captivum, et multa alia iniurias et damna communiter irrogarunt eidem preposito perperam et iniuste, in animarum suarum periculum, eiusdem prepositi grave preiudicium et scandalum plurimorum. Quare predictus prepositus nobis humiliter supplicavit, ut causas

[1] Zudar.

tam criminales, quam civiles, quas idem prepositus armigeris predictis et complicibus, necnon dilecto filio nobili viro Nicolao nato et heredi eiusdem palatini, militi dicte Quinqueecclesiensis diocesis, super premissis et eorum occasione communiter vel divisim movere proponit, cum omnibus emergentibus, incidentibus, dependentibus et connexis, alicui probo viro, in partibus illis, committere et alias sibi providere in premissis de oportuno remedio dignaremur. Nos itaque, huiusmodi supplicationibus inclinati, Circumspectioni Tue, per apostolica scripta, mandamus, quatenus vocatis eisdem milite, armigeris et complicibus et aliis, qui fuerint evocandi, si de manuum iniectione, necnon captione et detentione huiusmodi tibi constiterit, eosdem armigeros et complices tamdiu excommunicatos publice nuncies et facias ab omnibus nunciari et arctius evitari, quousque passo iniuriam satisfecerint competenter, et cum tuarum testimonio litterarum ad Sedem venerint Apostolicam absolvendi, super aliis vero auditis hincinde propositis, quod iustum fuerit, summarie simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, appellatione remota decernas. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Idus Januarii Pontificatus Nostri Anno Secundo.

CLV.

1391. 9. Januarii.

Episcopo Jauriensi iniungit, ut excommunicationis sententiam contra Abbatem de Sexardia latam executioni mandare curet.

(Anni II. Liber XV. f. 63 t.)

Bonifacitus etc. Venerabili fratri Episcopo Jauriensi salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii nostri Valentini tituli sancte Sabine presbiteri Cardinalis, administratoris ecclesie Quinqueecclesiensis in spiritualibus et temporalibus per Sedem Apostolicam deputati, necnon dilectorum filiorum cleri, civitatis et dyocesis Quinqueecclesiensis petitio continebat, quod licet dilectus filius Nicolaus Lector ecclesie Quinqueecclesiensis, per eundem Cardinalem ratione administrationis huiusmodi auctoritate ordinaria deputatus, Nicolaum Abbatem et conventum Monasterii sancti Salvatoris de Saxardia, ordinis sancti Benedicti, dicte diocesis, qui in procurationibus et subsidiis, episcopo Quinqueecclesiensi pro tempore

existenti et eisdem clero pro tempore imponuntur, tenentur et tunc tenebantur contribuere, per suas certi tenoris litteras auctoritate deputationis huiusmodi monuisset, ut infra certum terminum peremptorium competentem, tunc expressum, cum effectu persolverent ratam dictum monasterium contingentem, etiam tunc expressam, cuiusdam pecunie quantitatis eisdem Cardinali, ratione huiusmodi administrationis, ac clero predictis necnon universis personis ecclesiasticis, tam exemptis quam non exemptis civitatis et diocesis predictarum, in relevationem et deductionem expensarum dilecti filii magistri Petri de Pisis legum doctoris in Romana Curia advocati, tunc nuntii, per felicis recordationis Urbanum papam VI. predecessorem nostrum ad illas partes destinati, quamdiu in prosecutione quorundam negotiorum, per eundem predecessorem sibi commissorum, in eisdem partibus moraretur, persolvende, alioquin in Abbatem predictum et singulares personas ex eodem conventu excommunicationis sententiam promulgaret, ipsosque mandaret et faceret excommunicatos publice nuntiari. Et licet predicte littere et monitio dicti Lectoris ad indubitatam notitiam predictorum Abbatis et conventus legitime pervenissent, quia tamen predicti Abbas et conventus ratam eos, ut premittitur, contigentem infra dictum terminum, vel etiam post solvere contumaciter non curarunt, idem Lector eosdem Abbatem et singulares personas propter hoc ad sui presentiam legitime evocatos declaravit eandem sententiam dampnabiliter incurrisse, ipsosque mandavit et fecit excommunicatos publice nuntiari. Sed iidem Abbas et persone, eadem sententia vilipensa, eam diutius sustinuerunt, prout sustinent, animis induratis, redire non curantes ad ecclesie unitatem. Quare pro parte dictorum Cardinalis et cleri, qui totam summam predictam eidem Petro persolverunt, et adhuc ratam huiusmodi ab eisdem Abbate et conventu rehabere, *(sic)* nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere ipsis super hiis de oportuno remedio, de benignitate apostolica, dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tue per apostolica scripta mandamus, quatenus legitimis super hiis habitis per ipsum Lectorem servatis processibus, eandem sententiam, quotiens expedierit, aggravare procures, contradictores censura ecclesiastica appellatione postposita compescendo. Invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Idus Januarii Anno Secundo.

CLVI.

1391. 10. Januarii.

Annæ, Gregorii Johannis Bani viduæ, facultatem visitandi religiosarum reclusarum Monasteria concedit.

(Anni II. Liber XXIV. f. 254 t.)

Bonifacius etc. Dilecte in Christo filie nobili mulieri Anne, Relicte quondam Gregorii Johannis bani Vidue, Quinqueecclesiensis diocesis, salutem. Devotionis tue sinceritas promeretur, ut que a nobis suppliciter postulas, affectu tibi benivolo concedamus. Cum itaque, sicut pro parte tua nobis fuit expositum, in Strigoniensi, Wesprimiensi et Waradiensi civitatibus et diocesibus nonnulla Monasteria religiosarum reclusarum diversorum ordinum existant, in quibus consanguinee et devote tue, sub regulari habitu, degunt, tuque causa devotionis ipsa ingredi desideres, Nos, tuis supplicationibus inclinati, ut cum sex matronis honestis Monasteria ipsa, quibuscumque Constitutionibus apostolicis ac ipsorum Monasteriorum et ordinum statutis et consuetudinibus contrariis nequaquam obstantibus, toties quoties tibi placuerit, ingredi valeas, dummodo earum, que Monasteriis ipsis prefuerint, ad id accedat assensus, et tu ac dicte Matrone ibidem non comedatis nec etiam pernoctetis, tibi tenore presentium indulgemus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Januarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLVII.

1391. 19. Januarii.

Fidelibus visitantibus capellam b. Barbaræ in Káposztafalu, Strigoniensis diocesis, indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XV. f. 226.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus. . . . salutem etc. . . . Cupientes igitur, ut capella beate Barbare sita in cimiterio parochialis ecclesie sancti Laurentii de villa Compositi, Strigoniensis diocesis, congruis

honoribus frequentetur, . . . omnibus vere penitentibus et confessis, . . . qui in dicte sancte Barbare festivitate et in Dedicatione ipsius capelle prefatam capellam devote visitaverint aut cimiterium, et ad eius fabricam manus porrexerint adiutrices, . . . duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoquarto Kalendas Februarii Anno Secundo.

CLVIII.

1391. 21. Januarii.

Nicolao Hartmanni canonicatum Frisingensis et Agriensis ecclesiarum ac Archidiaconatum Ujvariensem confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 251 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii Scotorum in Wienna, Pataviensis diocesis, salutem etc. . . . Dudum siquidem omnes canonicatus . . . ceteraque beneficia ecclesiastica, . . . tunc apud Sedem Apostolicam vacantia et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostre reservantes. . . . Cum itaque postmodum Frisingensis et Agriensis ecclesiarum canonicatus et prebende ac archidiaconatus Vywariensis in eadem ecclesia Agriensi, quos quondam Albertus de Pachensteyn ipsarum ecclesiarum canonicus et Archidiaconus Vywariensis, . . . dum viveret, obtinebat, per ipsius Alberti obitum, qui apud Sedem predictam diem clausit extremum, apud eandem Sedem vacaverint et vacent ad presens, . . . Nos volentes dilectum filium Nicolaum Hartmanni canonicum ecclesie Posoniensis, Strigoniensis diocesis, qui, ut asserit, in iure canonico studet, apud nos de vite ac morum probitate . . . multipliciter commendatum, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si archidiaconatus ipse curatus vel dignitas aut personatus existat, et per diligentem examinationem eundem Nicolaum . . . ydoneum . . . reppereris, . . . eosdem canonicatus et prebendas ac archidiaconatum predictos, quorum omnium fructus, redditus et proventus sexaginta marcharum argenti . . . valorem annuum, ut ipse Nicolaus asserit, non excedunt, etiamsi archidiaconatus ipse dignitas curata, non tamen maior post pontificalem in eadem ecclesia Agriensi existat, . . . et si forsan ita esse non inveneris, dictusque archidiaconatus curatus aut dignitas vel persona-

tus non sit, ipseque Nicolaus . . . ad obtinendum canonicatus et prebendas dumtaxat predictos ydoneum esse reppereris, dictos canonicatus et prebendas ac archidiaconatum, si vero archidiaconatus ipse curatus aut dignitas seu personatus sit, ipseque Nicolaus non bene cantet et non iuraverit, . . . dummodo ipsum alias . . . ad obtinendum canonicatus et prebendas dumtaxat predictos ydoneum esse reppereris, . . . eosdem. canonicatus et prebendas dumtaxat . . . dicto Nicolao . . . conferas. Non obstantibus, . . . quod dudum Nicolao, ut asserit, de parochiali ecclesia in Aichach, Pataviensis diocesis, . . . cuius possessionem nondum habet, auctoritate apostolica graciose concessum fuit, et nos nuper sibi de canonicatu sub expectatione prebende dicte Posoniensis, nec non de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, ad provisionem . . . Episcopi Pataviensis et . . . Capituli Pataviensis ecclesiarum . . . pertinente vacante vel vacaturo . . . mandavimus provideri, per cuiusquidem beneficii curati assecutionem pacificam dictam parochialem ecclesiam et omne ius sibi in ea seu ad eam quomodolibet competens dimittere tenetur. Volumus autem, quod dictus Nicolaus quam primum sive Frisingensis, sive Agriensis ecclesiarum predictarum canonicatus et prebendas aut archidiaconatum predictos vigore presentium fuerit pacifice assecutus, eandem parochialem ecclesiam, si illam prius non dimiserit, quam extunc vacare decrevimus, ac omne ius sibi in ea seu ad eam quomodolibet competens omnino, prout ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Februarii Anno Secundo.

CLIX.

1391. 24. Januarii.

Blasio Awarri parochiam de Kramaska, Zagrabiensis diœcesis, confert.

(Anni II. Liber XXIV. f. 319 t.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Patriarche Gradensi et Episcopo Tudensi ac dilecto filio Preposito ecclesie Zagrabiensis salutem . . . Vite ac morum honestas, . . . quibus apud nos dilectus filius Blasius. Awarri. (?) presbiter Zagrabiensis diocesis, . . . commendatur, nos inducunt . . . Cum itaque . . . parochialis ecclesia sancte Crucis de Kramaska,

dicte diocesis, quam quondam Iacobus Pauli ipsius ecclesie Rector, dum viveret, obtinebat, per ipsius Jacobi obitum . . . vacaverit et vacare noscatur ad presens, Nos volentes predicto Blasio . . . gratiam facere specialem Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . ecclesiam predictam, cuius fructus . . . triginta florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, si, ut premittitur, vacat, . . . dicto Blasio, auctoritate nostra, conferre et assignare curetis . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Nono Kalendas Februarii Anno Secundo

CLX.

1391. 26. Januarii.

Gregorio Blasii de Varas Canonicatum in ecclesia Zagrabiensi confert.

(Anni II. Liber CXXXX. f. 110.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati sancte Marie Zagrabiensis ac Preposito sancte Marie Glogonca per Prepositum soliti gubernari, Zagabiensis diocesis, monasteriorum salutem etc. Grata dilecti filii Gregorii Blasii de Varas, clerici Zagrabiensis diocesis, familiaris nostri, familiaritatis et devotionis obsequia, que nobis et Apostolice Sedi hactenus impendit, et adhuc solicitis studiis impendere non desistit, nec non vite ac morum honestas . . . nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Zagrabiensis, quos quondam Jacobus Archidiaconus de Goriche, ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Jacobi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, Nos, volentes dicto Gregorio . . . gratiam facere specialem, Discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Gregorius asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo vacent, . . . eidem Gregorio conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, . . . quod nuper eidem Gregorio, ut asseritur, de parochiali ecclesia sancti Martini de Toplica, Zagrabiensis diocesis, tunc certo modo vacante, cujus fructus . . . quadraginta florenorum auri . . . valorem annuum non

excedunt, per alias nostras litteras gratiose mandavimus provideri ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Februarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLXI.

1391. 19. Januarii.

Fidelibus visitantibus ecclesiam in Novavilla, Strigoniensis diœcesis, indulgentias confert.

(Anni II. Liber XV. f. 226.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus ... salutem etc. Gloriosus Deus in sanctis suis et in ipsorum glorificatione congaudens, in veneratione beate Marie ... Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia beate Marie Virginis de Novavilla, Strigoniensis diocesis, congruis honoribus frequentetur, ... omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie festivitatibus et in Dedicatione ipsius ecclesie prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad eius fabricam manus porrexerint adiutrices, ... duos annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitenciis misericorditer relaxamus. ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoquarto Kalendas Februarii Anno Secundo.

CLXII.

1391. 1. Februarii.

Magistrum Benedictum Ivance Canonicum Zagrabiensem Capellanum Pontificium creat.

(Regest. Bullarum. Vol. 313. f. 89.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Benedicto Iwance canonico Zagrabiensi, Capellano nostro, salutem etc. Virtutibus clarus ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendas Februarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

P. de Montella
G. Gregorii Paridanus.

CLXIII.

1391. 1. Februarii.

Benedicto Ivance Canonico Zagrabiensi facultatem testandi concedit.

(Anni II Liber XXIV. f. 225 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Benedicto Iwance, canonico Zagrabiensi, Capellano nostro, salutem etc. . . . Nos itaque, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis, undecumque, non per ecclesiam, seu ecclesias tibi commissas, alias tamen licite acquisitis, que ad te pertinere omnimode dinoscuntnr, libere testari valeas, ac de bonis mobilibus ecclesiasticis, tue dispositioni, seu administrationi commissis, que tamen non fuerint altaris seu altarium ecclesiarum tibi commissarum ministerio, seu alicui speciali earumdem ecclesiarum divino cultui, seu usui deputata, nec non et quibuscumque bonis mobilibus a te per ecclesiam seu ecclesias licite acquisitis, pro decentibus et honestis expensis tui funeris et pro remuneracione illorum, qui tibi viventi servierunt, sive sint consanguinei sive alii iuxta servicii meritum, moderate tamen, disponere et erogare, et alias in pios ac licitos usus convertere possis, prius tamen de omnibus predictis bonis ere alieno, et hiis, que pro reparandis domibus seu edificiis consistentibus in locis ecclesiarum vel beneficiorum tuorum culpa vel negligentia tua seu tuorum procuratorum destructis seu deterioratis, nec non restaurandis aliis iuribus earumdem ecclesiarum vel beneficiorum deperditis, ex culpa vel negligentia supradictis, fuerint oportuna, deductis, plenam et liberam discretioni tue auctoritate presentium concedimus facultatem. Volumus autem, ut in eorumdem ecclesiasticorum dispositione bonorum, iuxta quantitatem residui, erga ecclesias, a quibus eadem percepisti, te liberalem exhibeas, prout conscientia tibi dictaverit et anime tue saluti videris expedire. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendis Februarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLXIV.

1391. 3. Februarii.

Caroli Neapolitani in Hungaria cæsi cadaver in Ecclesia sepeliri indulget.

(Anni II. Liber XV. f. 209.)[1]

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Exhibita nobis pro parte Carissimi in Christo filii nostri Ladislai, regis Sicilie Illustris, petitio continebat, quod, licet dudum in clare memorie Carolo olim rege Sicilie, genitore suo, tempore sui obitus signa penitentie apparuerint manifesta, tamen, pretextu quorundam processuum per felicis recordationis Urbanum papam VI. predecessorem nostrum contra dictum Carolum factorum, per quos idem predecessor ipsum excommunicationis sententia innodavit, corpus eiusdem Caroli non fuit traditum ecclesiastice sepulture, sed positum extitit in quadam domo prope monasterium sancti Andree de Promontorio castri Wissegradiensis, ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis, ubi adhuc inhumatum conservatur. Quare pro parte predicti Ladislai regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut, cum in eodem Carolo, ut prefertur, tempore sui obitus signa penitentie apparuerint manifesta, corpus predictum ab huiusmodi et aliis sententiis excommunicationis, quibus forsan ligatus extitit, absolvi et ecclesiastice sepulture tradi mandare de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati Tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, si per summariam informationem per te super hoc recipiendam reppereris, quod in eodem Carolo tempore sui obitus, ut prefertur, signa penitentie apparuerint, predictum eius corpus a quibuscumque excommunicationis sententiis, quibus ligatus fuisset, auctoritate nostra per te vel alium absolvas, in forma ecclesie consueta, ipsumque apud ecclesiam dicti monasterii tradi facias ecclesiastice sepulture, predictis processibus et quibusvis prohibitionibus prefati predecessoris et aliis contrariis non obstantibus quibuscunque. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. . . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Nonas Februarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

[1] Brevem extractum huius bullæ publicavit Fejér in Codice Diplom. Tom. X. Vol. I. p. 194,

CLXV.

1391. 9. Februarii.

Jacobo de Bredenscheid Canonicatum in ecclesia Bosniensi confert.

(Anni II. Liber CLXXX. f. 134 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii Pelisiensis, Vesprimiensis diocesis ac Officiali Strigoniensi salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Jacobus de Bredenscheyd, canonicus Strigoniensis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Boznensis, quos quondam Clemens Georgii ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ejusdem Clementis obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, Nos volentes eidem Jacobo . . . gratiam facere specialem, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . Canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . octuaginta florenorum auri . . . annuum, ut idem Jacobus asserit, non excedunt, si, ut premittitur, vacant, . . . prefato Jacobo auctoritate nostra conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, . . . quod dictus Jacobus, ut asserit, canonicatum et prebendam majoris Strigoniensis ac preposituram sancti Georgii de viridi campo Strigoniensis ecclesiarum, quorum omnium fructus . . . triginta marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et quod nos dudum sibi de uno duobus vel pluribus seu beneficio seu beneficiis ecclesiastico vel ecclesiasticis cum cura vel sine cura in Strigoniensi et Colocensi civitatibus et diocesibus ac provinciis vacante vel vacantibus aut vacaturo seu vacaturis gratiose concesssimus provideri. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum V. Idus Februarii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLXVI.

1391. 14. Februarii.

Demetrio Gregorii de Zdencz Canonicatum in ecclesia Colocensi confert.

(Anni II. Liber CLXXX. f. 39.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Salvatoris de Suchscardio, Quinqueecclesiensis diocesis, ac Preposito ecclesie Quinqueecclesiensis salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Demetrius Gregorii de Zdench, canonicus Quinqueeclesiensis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ac gratiam liberales. Cum itaque, sicut aecepimus, canonicatus et prebenda ac cantoratus ecclesie Colocensis, quos quondam Michael de Jadria ipsius ecclesie canonicus et Cantor, dum viveret, obtinebat, per ipsius Michaelis obitum, qui extra Romanum Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens; Nos volentes predicto Demetrio . . . gratiam facere specialem, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam ac cantoratum predictos, qui quidem cantoratus officium sine cura existit, quorumque omnium fructus . . . sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Demetrius asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alio quovis modo vacent . . . eidem Demetrio conferre curetis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Sextodecimo Kalendas Martii Anno Secundo.

CLXVII.

1391. 17. Februarii.

Magistrum Stephanum Valentini de Korpona Capellanum Pontificium creat.

(Regest. Bullarum. Vol. 313. f. 34 2.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Stephano Valentini de Corpona Rectori Capelle beate Marie Virginis site in Cimiterio ecclesie sancti Martini, Strigoniensis diocesis, Capellano nostro, salutem etc. Virtutibus cla-

rus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum XVI. Kalendas Martii Pontificatus nostri Anno Secundo.

P. de Montella — Pro G. Wert.

G. Gregorii. — B. de Pistorio.

CLXVIII.

1391. 17. Februarii.

Episcopo Lucerino, Archidiacono de Pankota et Custodi Strigoniensi mandat, ut controversiam de parochia in Sepsi ortam examinent et diriment.

(Anni II. Liber XXIV. f. 10.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Lucerino et dilectis filiis Archidiacono de Panchata in ecclesia Agriensi ac Custodi ecclesie Strigoniensis salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Johannis Nicolai Rectoris parochialis ecclesie sancti Spiritus de Sepsii, Strigoniensis diocesis, petitio continebat, quod olim ipse in causa per eum contra quondam Jacobum Sark presbiterum super dicta ecclesia, de qua, tunc certo modo vacante, eidem Johanni canonice provisum fuerat, et quam idem Jacobus indebite occupaverat, mota, et in Palatio Apostolico coram certo Auditore causarum dicti Palatii, ex commissione Apostolica, diutius ventilata, tandem idem Johannes unam diffinitivam, per quam inter cetera dicta ecclesia sibi adiudicata et super ea prefato Jacobo perpetuum silentium impositum fuit, sententiam reportavit, et super executione dicte, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, apostolicas ad vos sub certa forma literas impetravit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Jacobus postea decesserit et dilectus filius Ladislaus Sebastiani, qui se gerit pro clerico dicte diocesis, in eadem ecclesia de facto se intruserit, illamque similiter detineat indebite occupatam, ipseque Johannes dubitet, ne etiam aliqui alii in eadem ecclesia intruserint hactenus seu in posterum se intrudant: pro parte dicti Johannis fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati Discretioni vestre, . . . mandamus, quatenus . . . in huiusmodi executionis negotio tam contra eundem Ladislaum, quam contra quoscumque alios, in dicta ecclesia iam forsan intrusos vel inposterum intrudendos, in ecclesia ipsa quoad possessionem dumtaxat ecclesie predicte ipsi Johann

tradendam perinde procedatis ac si sententia ipsa contra eos lata fuisset, et nihilominus legitimus per nos super hiis habebitur servatis processibus ad huiusmodi habituris et habendos processus quotiens expedierit aggravare curetis. ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertiodecimo Kalendas Martii Anno Secundo.

CLXIX.

1391. 24. Februarii.

Andreæ Mikonis Canonicatum ecclesiæ Csasmensis confert.

(Anni II. Liber XV. f. 65 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Sancti Spiritus Chasmensis, Zagrabiensis diocesis, salutem etc. ... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Andree Miconis, canonici ecclesie Sancti Spiritus Chasmensis, Zagrabiensis diocesis, petitio continebat, quod olim cantoratu dicte ecclesie, per liberam resignationem Jacobi dicti Cheh, tunc ipsius ecclesie Cantoris, per eundem in manibus venerabilis fratris nostri Pauli Episcopi Zagrabiensis extra Romanam Curiam sponte factam et per eundem Episcopum, extra dictam Curiam, auctoritate ordinaria admissam vacante, idem episcopus eundem cantoratum sic vacantem, auctoritate predicta, prefato Andree contulit, et de illo etiam providit canonice nisi apostolice reservationes obstarent; idemque Andreas cantoratum predictum ... extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem ... dictus Andreas dubitet dictum cantoratum, cuius necnon canonicatus et prebenda dicte ecclesie, quos idem Andreas obtinet, fructus ... septuaginta florenorum auri ... valorem annuum ... non excedunt, alias quam, ut prefertur, vacavisse aut cantoratum ipsum generaliter vel specialiter dispositioni apostolice reservatum fore, seque posse propterea super eo imposterum molestari; Nos volentes dictum Andream ... favoribus prosequi gratiosis, suis in hac parte supplicationibus inclinati, Discretioni Tue ... mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem, prefatum Andream ad dictum obtinendum cantoratum, qui curatus dignitas, vel personatus aut officium non est et ad quem quis per electionem non assumitur, ydoneum esse reppereris, eidem Andree, auctoritate nostra, concedas, quod collatio et

quecunque inde secuta, etsi cantoratus ipse alias, quam ut premittitur, vacavisset, dummodo cantoratus ipse sibi ex ordine debeatur, ac Jacobus familiaris noster et Andreas predicti in dicto cantoratu intrusus non fuerit, perinde a data presentium valeant plenamque obtineant roboris firmitatem, ac si dicto cantoratu nulla per Sedem ipsam generalis seu alias specialis reservatio facta foret *(sic.)*. Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLXX.

1391. 10. Martii.

Nicolaum Puck parochum de Dumbro, Zagrabiensis diœcesis, propter varia crimina beneficio privat.

(Anni II. Liber XXIV. f. 167.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Cantori ecclesie Zagrabiensis salutem etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod dilectus filius Nicolaus Puck, Rector parochialis ecclesie sancti Martini de Dumbro, Zagrabiensis diocesis, in reprobum sensum datus, notorie blasphemare ac negare Deum et eius Matrem ac Angelos et alios sanctos, ac nos non esse Papam ac Venerabiles fratres nostros sancte Romane ecclesie Cardinales non fore Cardinales, sed truffam, asserere presumpsit hactenus et presumit, et etiam nonnulla falsa instrumenta in Romana Curia olim fabricavit; Nos igitur, attendentes, quod, veris existentibus premissis, idem Nicolaus predicte ecclesie regimine reddidit se indignum, Discretioni tue, per apostolica scripta, mandamus, quatenus, vocatis dicto Nicolao et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis inquiras auctoritate nostra diligentius veritatem, et, si per inquisitionem huiusmodi premissa, vel eorum aliqua, propter que idem Nicolaus de iure predicta ecclesia privari debeat, reppereris vera esse, eundem Nicolaum prefata ecclesia eadem auctoritate sententialiter prives et amoveas realiter ab eadem, prout de iure fuerit faciendum. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Idus Martii Anno Secundo.

CLXXI.

1391. 10. Martii.

Benedicto Ivancæ parochiam de Dumbro, Zagrabiensis diœcesis, confert.

(Anni II. Liber XXIV f. 305 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Cantori ecclesie Zagrabiensis salutem etc. Laudabilia probitatis et virtutum merita, quibus apud nos dilectus filius Benedictus Iwance, canonicus Zagrabiensis, . . . commendatur, nos inducunt . . . Hodie siquidem ad audientiam nostram deducto, quod dilectus filius Nicolaus Puck, Rector parochialis ecclesie sancti Martini de Dumbro, Zagrabiensis diocesis, in reprobum sensum datus, notorie blasphemare . . . presumpserat, et etiam nonnulla olim in Romana Curia fabricaverat falsa instrumenta; Nos attendentes, quod, veris existentibus premissis, idem Nicolaus predicte ecclesie regimine reddiderat se indignum, tibi . . . dedimus in mandatis, ut si . . . reppereris premissa vel eorum aliqua, propter que idem Nicolaus de iure predicta ecclesia privari deberet, vera esse, eundem Nicolaum prefata eclesia sententialiter privares, . . . Nos igitur volentes prefatum Benedictum . . . favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si dictum Nicolaum prefata ecclesia per te privari contigerit, eandem, cuius fructus . . . vigintiquinque marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, prefato Benedicto conferas et assignes . . . Non obstantibus, . . . quod idem Benedictus canonicatum et prebendam ecclesie Zagrabiensis, quorum fructus. . . . sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Idus Martii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLXXII.

1391. 16. Martii.

Privilegia Ordinis Carthusiensium confirmat.

(Tabularium Regnic. Hung. N. 25850.)

Bonifacius Episcopus servus servorum dei Dilectis filiis, Priori generali et universis fratribus ordinis Carthusiensium tam præsentibus quam futuris, salutem et apostolicam benedictionem. Sacrosancta Romana ecclesia Mater cunctorum fidelium et Magistra in agro virtutum vestri ordinis, cui Altissimus benedixit, et in decore sanctæ religionis, sub qua mundanis abjectis illecebris devotum et sedulum exhibetis Domino famulatum, exultat et iubilat, præsertim, dum conspicit, quod vos ad alta virtutum gradibus per exercitium bonorum operum et præclara sanctitatis merita procedentes trahitis ad divinæ majestatis obsequium alios per exempla, vitam ducendo piissimam, et frequenter divinis laudibus, ex quibus gloria divinæ maiestatis attollitur, devotissime insistendo et huic mundo mortui ac Domino nostro Jesu Christo, qui est vita, viventes, pro universali salute fidelium ad Dominum preces funditis incessanter, propter quæ eundem vestrum ordinem, quem erga nos et prædictam ecclesiam devotionis claritate prelucere conspicimus, infra claustra nostri pectoris paternis affectibus contemplantes, circa bonum statum ipsius ordinis ferventibus studiis vigilamus, et ut Deo propitio idem ordo protegatur a noxiis, et salubria semper suscipiat incrementa, personeque ipsius pacis et tranquillitatis affluant ubertate, ab omnique sint perturbatione secure ac ab oppressionibus indebitis preserventur illese, ordinem ipsum prerogativa apostolice libertatis et exemptionis præsidio communimus. Sane petitio pro parte vestra nobis nuper exhibita continebat, quod licet, prædictus ordo vester cum omnibus monasteriis, prioratibus, domibus et locis ejusdem atque personis degentibus in eisdem ab olim reputatus fuerit et adhuc etiam communiter reputetur fore a iurisdictione quorumlibet ordinariorum judicum exemptus, et soli Sedi Apostolice immediate subiectus et tamen nonnulli locorum Ordinarii cupientes vestra et dicti ordinis privilegia et libertates infringere et aliis diversis ex causis vos inquietare et multipliciter molestare et personas eiusdem ordinis ad forum suum

trahere et alias vexare presumunt, propter que nonnunquam vos a contemplatione et quiete vestra contra religionis vestre statum retrahi et secularibus negotiis implicari oportet. Quare pro parte vestra nobis fuit humiliter supplicatum, ut ad evitandam cuiuslibet molestie et inquietationis materiam et gravamina, que vobis contra huiusmodi exemptionis libertatem posset inferri, et ut tollatur quelibet contra vos occasio malignandi, vos et eundem vestrum ordinem cum omnibus monasteriis, prioratibus, domibus et locis eiusdem pro incremento vestri status et pro pace et tranquillitate personarum degentium in eisdem de novo plenarie eximere de speciali gratia dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, et predictum ordinem vestrum cum omnibus et singulis monasteriis, prioratibus, domibus et locis eiusdem, que nunc habetis et imposterum vos habere contigerit et cum personis degentibus in eisdem presentibus et futuris ab omni ordinaria iurisdictione, dominio, visitatione ac potestate qualibet omnium et singulorum Patriarcharum, Archiepiscoporum et aliorum quorumlibet iudicum ordinariorum de specialis dono gratie de novo prorsus eximimus et totaliter libertamus, illaque in ius et proprietatem Beati Petri ac Sedis Apostolice ac sub eorum et nostra speciali et immediata protectione presentium tenore suscipimus, decernentes ordinem, monasteria, prioratus, domos ac loca et personas huiusmodi soli et immediate Sedi predicte fore subiecta, et quod locorum Ordinarii, seu Diœcesani vel alia quevis persona in vos seu monasteria, prioratus, domos aut loca vel personas prefata, utpote prorsus exempta, non possint auctoritate ordinaria excommunicationis, suspensionis aut interdicti sententias promulgare, vel alias etiam ratione delicti vel contractus aut rei, de qua agetur, ubicunque committatur delictum. iniatur contractus, vel res ipsa consistat, iurisdictionem aliquam exercere; felicis recordationis Innocentii Papæ quarti, predecessoris nostri, circa exemptos edita, quæ incipit: Volentes, et aliis constitutionibus apostolicis in contrarium editis non obstantibus quibuscunque. Nos enim omnes excommunicationum, suspensionum et interdicti sententias et quoscunque processus, quasvis penas et sententias continentes, quas et quos ad vos et monasteria, prioratus, domos vel loca aut personas huiusmodi contra tenorem et formam exemptionis huiusmodi quomodolibet promulgari et haberi contigerit, irritos decernimus et inanes ac nullius existere firmitatis. Per exemptionem autem et libertatem huiusmodi et alia supradicta libertatibus, privilegiis et immunitatibus vel aliis iuribus vestris et predicti ordinis ac monasteriorum, prioratuum et domorum atque locorum prædictorum nullum

intendimus preiudicium generari: quin imo volumus quod illa in sua plena remaneant firmitate. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XVII. Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLXXIII.

1391. 8. Aprilis.

Georgio Michaelis Archidiaconatum in ecclesia Bacsiensi confert.

(Anni II. Liber XXIV. f. 78.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Baciensis et Quinqueecclesiensis ecclesiarum Prepositis salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . quibus dilectus filius Georgius Michaelis, canonicus ecclesie Baciensis, . . . commendatur, nos inducunt . . . Exhibita . . . dicti Georgii petitio continebat, quod olim archidiaconatu dicte ecclesie, quem quondam Ludovicus Henrici ipsius ecclesie Archidiaconus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Ludovici obitum . . . vacante, Venerabilis frater noster Ludovicus Archiepiscopus Colocensis dictum archidiaconatum sic vacantem prefato Georgio, auctoritate ordinaria contulit et providit etiam de eodem, ipseque Georgius archidiaconatum predictum, vigore collationis et provisionis huiusmodi assecutus illum extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus Georgius dubitet collationem et provisionem predictas, ex certis causis viribus non subsistere, seque propterea super dicto archidiaconatu posse imposterum molestari; Nos, volentes prefato Georgio . . . gratiam facere specialem, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . archidiaconatum predictum, cuius fructus, redditus et proventus sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Georgius asserit, non excedunt, . . . eidem Georgio, auctoritate nostra conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, . . . quod idem Georgius canonicatum et prebendam prefate ecclesie, quorum fructus . . , viginti florenorum auri, . . . ut ipse Georgius asserit, non excedunt, noscitur obtinere. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Idus Aprilis Anno Secundo.

CLXXIV.

1391. 13. Aprilis.

Fidelibus visitantibus ecclesiam in Püspöki, Waradiensis diœcesis, indulgentias concedit.

(Anni II. Liber XX f. 121.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. . . . Cupientes igitur, ut parochialis ecclesia sancti Demetrii in Pispuki, Waradiensis diocesis, congruis honoribus frequentetur . . . omnibus vere peuitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini nostri Jesu Christi ac Penthecostes necnon in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis beate Marie Virginis et Nativitatis beati Johannis Baptiste, Petri et Pauli apostolorum ac in ipsius ecclesie Dedicationis et celebritate omnium Sanctorum ac in sancti Demetrii predicti festivitatibus et per ipsorum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini ac Nativitatis et Assumptionis beate Marie, necnon Nativitatis sancti Johannis et apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octavas et per sex dies dictum festum Penthecostes immediate sequentes ecclesiam ipsam devote visitaverint annuatim et ad conservationem ipsius manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet ipsarum festivitatum ac celebritatum unum annum et quadraginta dies, octavarum vero et sex dierum predictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint et ad conservationem ipsius manus porrexerint adiutrices, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime valituris. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Aprilis Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLXXV.

1391. 19. Aprilis.

Magister Petrus de Wserob Apostolicæ Sedis nuntius commendatur.

(Anni III. Liber XVII. f. 277 t.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis ac dilectis filiis electis Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidiaconis, Archipresbiteris, Plebanis, Rectoribus aliisque ecclesiarum et monasteriorum prelatis; ipsorumque vicegerentibus, Capitulis quoque et Conventibus ecclesiarum et monasteriorum ipsorum ceterisque personis ecclesiasticis secularibus et regularibus, ordinum quorumquunque, exemptis et non exemptis, ac domorum hospitalis sancti Johannis Jerosolimitani, beate Marie Theutonicorum, Calatravensis et Humiliatorum Magistris, Prioribus, Preceptoribus et fratribus, necnon nobilibus viris, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, senescallis, iustitiariis, potestatibus, capitaneis, baylivis, officialibus ceterisque dominis temporalibus ac eorum locatenentibus, communitatibus quoque civitatum et universitatibus opidorum, castrorum, villarum, terrarum et aliorum quorumcumque locorum, necnon custodibus portuum et passuum ac aliis universis et singulis, ad quos presentes pervenerint, salutem etc. Cum dilectus filius magister Petrus de Wserob, archidiaconus Horseniensis in ecclesia Pragensi, litterarum apostolicarum corrector, Secretarius et familiaris noster, Apostolice Sedis nuntius ad Boemie et Ungarie regna et nonnullas alias partes pro certis arduis nostris et ecclesie Romane negotiis accedat de presenti, Nos, cupientes eundem Petrum cum eius familia, equitaturis ac comitiva in eundo, morando et ad nos redeundo plena securitate gaudere, universitatem vestram rogamus et hortamur attente, quatenus eundem Petrum cum huiusmodi familia et comitiva benigne recommendatum habentes, nullum ei et familie ac comitive predictis in personis, equitaturis, bonis et rebus eorum inferatis iniuriam, molestiam, vel offensam, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri, sed ei potius de securo conductu, si a vobis illum petierit, sic libere providere, pro nostra et Apostolice Sedis reverentia, studeatis, quod vestra possit exinde apud nos devotio commendari. Presentibus post unum annum minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimotertio Kalendas Maii Anno Secundo.

CLXXVI.

1391. 23. Aprilis.

Brictio Benedicti Præposituram ecclesiæ Colocensis confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 262 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii Bellifontis de Petravaraduno ac Preposito ecclesie sancti Laurentii de Hay, Colocensis diocesis, salutem etc. . . . Vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos Dilectus filius Brictius Benedicti, presbyter Colocensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur gratia liberales. Dudum siquidem, per felicis recordationis Urbanum Papam VI., predecessorem nostrum, accepto, quod canonicatus et prebenda ac prepositura ecclesie Colocensis ex eo vacaverant et vacabunt, quod bone memorie Stephanus Archiepiscopus Colocensis quondam Bakkonem de Polonia, tunc canonicum ac Prepositum eiusdem ecclesie, propter hoc ad sui presentiam legitime evocatum, suis demeritis exigentibus, predictis canonicatu et prebenda ac prepositura, per suam diffinitivam sententiam, que nulla provocatione suspensa in rem transierat iudicatam, auctoritate ordinaria, privaverat, eumque amoverat realiter ab eisdem, dictus predecessor de canonicatu et prebenda ac prepositura huiusmodi . . . prefato Brictio gratiose mandavit per suas litteras provideri . . . Postmodum vero . . . idem Brictius canonicatu et prebenda ac prepositura predictis . . . assecutis, illos extunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem . . . prefatus Backo postea extra Romanam Curiam debitum nature persolverit, dictusque Brictius dubitet litteras et collationem huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere, Nos volentes eidem Brictio, qui presbyter et, ut asserit, fructuum et proventuum Camere apostolice in civitate et diocesi Colocensi debitorum Succollector existit, specialem facere gratiam, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus predictos canonicatum et prebendam ac preposituram, quorum fructus, redditus et proventus trecentorum florenorum auri valorem annuum, ut ipse Brictius asserit, non excedunt, sive per privationem huiusmodi, sive per obitum dicti Backonis, sive alias quovis modo vel ex alterius cuiuscumque persona vacent, . . . dummodo

tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, eidem Brictio . . . assignare curetis, . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Nono Kalendas Maii Anno Secundo.

CLXXVII.

1391. 27. Aprilis.

Franciscum Dominici, presbyterum Vesprimiensis diœcesis in monachum Monasterii O. S. Benedicti de Kapornak recipi iubet, et eidem Monasterio in Abbatem præficit.

(Anni III. Liber XVII. f. 59.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Vesprimiensi salutem etc. Hodie siquidem pro parte dilecti filii Francisci Dominici presbiteri, tue diocesis, nobis exposito, quod ipse cupiebat in monasterio sancti Salvatoris de Capornuk, ordinis sancti Benedicti, dicte tue diocesis, quod tunc Abbate carebat, unacum dilectis filiis conventus dicti monasterii, sub regulari habitu, virtutum Domino famulari, Nos volentes ipsum in huiusmodi suo laudabili proposito confovere, tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut per te vel alium seu alios eundem Franciscum, si esset ydoneus, et aliud canonicum non obsisteret, *(sic)* in dicta monasterio, si in eo certus monachorum numerus non haberetur, et ex hoc monasterium ipsum nimium non gravaretur, vel etiam si huiusmodi numerus ibidem forsan existeret, nec aliquis de dicto numero tunc deesset, exnunc, alioquin quamprimum aliquem deesse contigeret, in dicto monasterio auctoritate nostra recipi faceres in monachum et in fratrem, sibique iuxta ipsius monasterii consvetudinem regularem habitum exhiberi, ac de communibus ipsius monasterii proventibus, sicut uni ex aliis prefati monasterii monachis, integre provideri, ipsumque ibidem sincera in Domino caritate tractari. . . . Cum itaque prefatum monasterium per quondam Nicolai ipsius monasterii Abbatis obitum, qui extra Romanam Curiam, decessit, pastoris solatio destitutum existat, nullusque de ipsius provisione preter nos hac vice se intromittere potuerit sive possit, . . . Et sicut accepimus dictus Franciscus ad regimen eiusdem monasterii, quod, ut asseritur, desolatum existit et minatur ruinam, cuiusque nonnullas possessiones aliqui nobiles partium illarum occupare procurant, alias utilis et ydoneus esset, ne monasterium ipsum longe vacationis exponeretur, incommodis

de persona ydonea salubriter providere cupientes ac de ipsius Francisci alias apud nos de religionis zelo, vite ac morum honestate multipliciter commendati, sufficientia et ydoneitate plenam notitiam non habentes, Fraternitati Tue, de qua in hiis et aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus, postquam idem Franciscus in monachum dicti monasterii receptus fuerit, ut prefertur, et professionem, iuxta dicti monasterii consvetudinem emiserit regularem, de persona sua, si eum ydoneum et utilem ad regimen ipsius monasterii esse reppereris, dicto monasterio hac vice auctoritate nostra provideas, eumque dicto monasterio preficias in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, sibique faciendo a suis subditis obedientiam et reverantiam debitas exhiberi. . . . Et nichilominus eidem Francisco, si per te de persona sua monasterio prefato provideri contigerit, ut prefertur, munus benedictionis impendas, vel per alium catholicum Antistitem gratiam et communionem Apostolice Sedis habentem impendi facias et procures. Volumus autem, quod tu vel idem Antistes, qui prefato Francisco huiusmodi munus impendes vel impendet, ab eo nostro et ecclesie Romane nomine solitum recipias seu recipiat iuramentum iuxta formam, quam sub bullla nostra mittimus interclusam; formam autem iuramenti, quod prefatus Franciscus prestabit nobis de verbo ad verbum per eius patentes litteras suo sigillo signatas, per probum nuntium, quantocius destinare procures seu procuret. Per hoc autem Episcopo Vesprimiensi, qui fuerit pro tempore, cum dictum monasterium Episcopo Vesprimiensi, ordinario iure subesse dinoscatur, nullum imposterum preiudicium generetur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Kalendas Maii Anno Secundo. (In margine notatur: «Cancellata et cassata de mandato domini nostri Pape».)

CLXXVIII.

1391. 5. Maii.

Demetrio Nicolai Custodiam ecclesiæ Bacsiensis confert.

(Anni II Libor XXIV. f. 124.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Baciensis salutem etc. . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Demetrii

Nicolai, clerici Baciensis diocesis, petitio continebat, quod olim custodia ecclesie Baciensis tunc per obitum quondam Georgii Marci eiusdem ecclesie Custodis . . . vacante, Venerabilis frater noster Lodovicus, Archiepiscopus Baciensis, custodiam predictam sic vacantem eidem Demetrio auctoritate ordinaria contulit . . . idemque Demetrius . . . dictam custodiam assecutus, illam ex tunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete etiam de presenti. Cum autem . . . idem Demetrius dubitet collationem . . . huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere, et, sicut accepimus, dicta custodia adhuc per obitum dicti Georgii vacare noscatur, Nos, volentes prefatum Demetrium . . . favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Demetrium ad obtinendam custodiam predictam, que dignitas curata in eadem ecclesia existit, ydoneum esse reppereris . . . custodiam predictam, cuius fructus . . . viginti florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Demetrius asserit, non excedunt, si, ut premittitur, vacat, etiam si custodia ipsa dignitas maior post pontificalem in eadem ecclesia existat . . . conferas et assignes. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Nonas Maii Anno Secundo.

CLXXIX.

1391. 5. Maii.

Dominicum Præpositum de Lelesz Capellanum Pontificium creat.

(Regest. Bullarum. Volumen 303 f. 102.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Dominico Preposito Monasterii sancte Crucis de Leles per prepositum soliti gubernari, Premonstratensis ordinis, Agriensis diocesis, Capellano nostro salutem etc. Virtutibus clarus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum IV. Nonas Maii Pontificatus nostri Anno Secundo.

P. de Montella,

G. Gregorii, N. de Piperno.

CLXXX.

1391. 12. Maii.

Abbati de Toplicza mandat, ut controversiam de canonicatu in ecclesia Csasmensi exortam examinet et dirimat.

(Anni II. Liber XXIV. f. 84.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii beate Marie de Toplica, Zagrabiensis diocesis, salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Petri Georgii de Rakonik, canonici ecclesie Sancti Spiritus Chasmensis, Zagrabiensis diocesis, petitio continebat, quod, licet olim ipse canonicatum et prebendam dicte ecclesie, tunc per obitum quondam Demetrii Nicolai eiusdem ecclesie canonici, extra Romanam Curiam defuncti, vacantes, vigore quarumdam litterarum nostrarum sibi gratiose concessarum, prout ex earum forma poterat, infra tempus legitimum, acceptasset, et per dilectum filium Abbatem Monasterii sancte Marie Zagrabiensis, executorem eidem Petro super huiusmodi gratia per alias nostras litteras deputatum, eidem Petro de dictis canonicatu et prebenda sic vacantibus provisum fuisset canonice, tamen Gallus Blasii, qui se gerit pro clerico dicte diocesis, cum auxilio et favore Thome Custodis dicte ecclesie se in dictis canonicatu et prebenda, contra iusttiiam, et de facto instrusit illosque occupavit et detinuit, prout detinet, indebite occupatos, fructus percipiendo ex eis; et licet prefatus Abbas, ad quem idem Petrus super hoc recursum habuit, contra dictos Thomam et Gallum et quoslibet alios contradictores et rebelles fecit nonnullos processus, in similibus fieri consuetos, monens inter cetera prefatos Thomam et Gallum, ut infra certum terminum peremptorium competentem tunc expressum, prefatos canonicatum et prebendam eidem Petro, prout tenebantur, libere dimitterent, vel infra dictum terminum iidem Thomas et Gallus et alii, qui sua cederent interesse, coram ipso Abbate legitime comparerent, et causam rationabilem allegarent, si quam haberent, quare iidem Thomas et Gallus canonicatum et prebendas eidem Petro dimittere non deberent, tamen prefati Thomas et Gallus, ad quorum indubitatam notitiam processus huiusmodi pervenerant, monitionibus huiusmodi vilipensis, infra dictum terminum vel etiam post, canonicatum et prebendam eidem Petro dimittere vel coram eodem Abbate comparere contumaciter non curarunt,

idemque Abbas in dictos Thomam et Gallum, propter huiusmodi eorum contumaciam manifestam, diversas cxcommunicationis, suspensionis et interdicti sententias promulgavit, iustitia exigente, dictasque sententias postmodum aggravavit, sed ipsi Thomas et Gallus in reprobum sensum dati huiusmodi sententias sustinuerunt, prout adhuc sustinent animis induratis, redire non curantes ad ecclesie unitatem, in animarum suarum periculum, censure ecclesiastice contemptum ac dicti Petri magnum preiudicium et scandalum plurimorum. Quare pro parte dicti Petri nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus legitimis super hiis habitis servatis processibus, processus eosdem quociens expedierit aggraves. Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Maii Anno Secundo.

CLXXXI.

1391. 12. Maii.

Episcopo Tudensi, Abbati de Toplicza et Petro Gregorii Canonico Zagrabiensi mandat, ut controversiam de parochiali ecclesia s. Mariæ de Csicser, Zagrabiensis diœcesis, exortam examinent et dirmant.

(Anni II. Liber XXIV. f. 105.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancte Marie de Toplica, Zagrabiensis diocesis, ac Petro Gregorii canonico ecclesie Zagrabiensis salutem etc. . . . Dudum siquidem per nos accepto, quod parochialis ecclesia sancte Marie de Chicher Zagrabiensis diocesis, quam quondam Blasius Johannis ipsius ecclesie Rector, dum viveret, obtinebat, per ipsius Blasii obitum . . . vacaverat et vacabat tunc, Nos dilecto filio Abbati Monasterii sancte Marie Zagrabiensis et duobus aliis suis in hac parte collegis eorum nominibus propriis non expressis per nostras litteras mandavimus, ut ipsi . . . eandem ecclesiam, si, ut premittitur, vacabat . . . dilecto filio Emerico Johannis de Morawicha Rectori predicte ecclesie auctoritate apostolica conferrent, et de illa etiam providerent . . . Postmodum vero . . . dilectus filius Nicolaus Abbas dicti Monasterii solus in huiusmodi executionis negotio procedens legit-

time predictam ecclesiam, quam taliter vacare et in ea non esse alicui specialiter ius quesitum invenerat, dictarum litterarum vigore eidem Emerico contulit, et de illa etiam providit, et nichilominus quosdam processus fecit in talibus fieri consuetos, per quos inter cetera monuit Henricum dictum Cheh, qui se gerit pro presbitero Pragensis diocesis, qui dictam ecclesiam tunc occupabat et detinebat indebite occupatam, et impediverat et impediebat, quominus idem Emericus eandem ecclesiam pacifice assequi posset, ut ab huiusmodi impedimentis omnino cessaret, nec non eandem ecclesiam ipsi Emerico libere dimitteret, . . . quin in ipsum et in contradictores quoslibet et rebelles diversas excommunicationis, suspensionis et interdicti sententias promulgabat. Cum autem, . . . licet huiusmodi processus ad indubitatam notitiam predicti Henrici legitime pervenissent, idem tamen Henricus processibus ipsis parere . . . contumaciter non curavit, propter quod idem Abbas declaravit eundem Henricum . . . predictam excommunicationis sententiam damnabiliter incurrisse . . . Et licet postmodum idem Abbas predictam sententiam legitime aggravasset, tamen dictus Henricus . . . predictam sententiam diutius sustinuit, prout sustinet animo indurato, . . . Quare pro parte dicti Emerici nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de opportuno remedio dignaremur, Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . legitimis super hiis habitis servatis processibus, eos, quociens expedierit, aggravare curetis. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Maii Anno Secundo.

CLXXXII.

1391. 12. Maii.

Episcopo Tudensi, Præposito et Lectori ecclesiæ de Posega, mandat ut controversiam de canonicatu in ecclesia Bosniensi ortam, examinent et dirimant.

(Anni II. Liber XXIV. f. 103.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Preposito ac Lectori ecclesie sancti Petri de Possega, Quinqueecclesiensis diocesis, salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Pauli, filii Stephani, canonici Boznensis, petitio continebat, quod olim ipse in causa per eum contra dilectum filium Barnabam Thome, qui se gerit pro

presbitero Boznensis diocesis, super canonicatu et prebenda ecclesie Boznensis, de quibus tunc certo modo vacantibus eidem Paulo, auctoritate apostolica, canonice provisum fuerat, et quos idem Barnabas occupaverat et detinebat indebite occupatos, mota et in Palatio Apostolico, coram certo Auditore causarum eiusdem Palatii, ex commissione apostolica, diutius ventilata, tandem diffinitivam pro se contra dictum Barnabam sententiam, per quam dicti canonicatus et prebenda Paulo adiudicati et super eis Barnabe predictis perpetuum silentium impositum extitit, reportavit, et super executione dicte sententie, que, nulla provocatione suspensa, in rem transivit iudicatam, apostolicas ad vos sub certa forma litteras impetravit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, huiusmodi lite indecisa pendente, prefatus Barnabas eosdem canonicatum et prebendam dimiserit, et dilectus filius Jacobus dictus Louas, qui se gerit pro clerico eiusdem diocesis, in eisdem canonicatu et prebenda se intruserit, illosque detineat indebite occupatos, fructus percipiendo ex eisdem, ipseque Paulus dubitet, ne aliqui alii in ipsis canonicatu et prebenda se intruserint vel intrudant, pro parte dicti Pauli nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de opportuno remedio dignaremur, Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni vestre . . . mandamus quatenus . . . in huiusmodi executionis vigorem, iuxta dictarum literarum vobis directarum tenorem, tam contra dictum Jacobum, quam etiam contra quoscumque alios intrusos vel imposterum intrudendos in predictis canonicatu et prebenda, perinde quoad possessionem dictorum canonicatus et prebende eidem Paulo dumtaxat tradendam procedatis ac si predicta sententia contra eos lata foret. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Maii Anno Secundo.

CLXXXIII.

1391. 8. Junii.

Magistrum Johannem Johannis, Canonicum Zagrabiensem, Capellanum Pontificium creat.

(Regest. Bullarum. Volumen 303. f. 165.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Johanni Johannis, canonico Zagrabiensi, Capellano nostro, salutem. Virtutibus clarus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum VI. Idus Junii Pontificatus nostri Anno Secundo.

M. de Teramo.

CLXXXIV.

1391. 8. Junii.

Magistro Johanni Johannis Canonico Zagrabiensi facultatem testandi concedit.

(Anni II. Liber XXIV. f. 227 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Johanni Johannis, canonico Zagrabiensi, Capellano nostro, salutem etc. . . . Nos itaque, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut de bonis tuis undequaque non per ecclesiam seu ecclesias tibi commissas; alias tamen licite acquisitis, libere testari disponere et erogare valeas . . . Discretioni tue tenore presentium liberam concedimus facultutem . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Idus Junii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLXXXV.

1391. 10. Junii.

Magistro Johanni de Dulmen, causarum Palatii Apostolici auditori, mandat, ut controversiam de canonicatu ecclesiæ Zagrabiensis ortam examinet et dirimat.

(Anni II. Lib. XX. f. 25.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Johanni de Dulmen, Capellano nostro et causarum Palatii Apostolici auditori, salutem etc. Litterarum scientia, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Franciscus Ceruarie, clericus Elvensis diocesis, bacalarius in legibus, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem ad audientiam nostram deducto, quod Johannes Crispus, canonicus ecclesie Zagrabiensis et Archidiaconus de Kemluk in eadem ecclesia, diabolico spiritu instigatus, Dei timore postposito, homicidium in personam quondam Pauli alias Benedicti layci inhumaniter perpetraverat, Nos attendentes tunc, quod, si erat ita, prefatus Johannes canonicatu et prebenda ac archidiaconatu de Kemluk in eadem ecclesia, quos tunc temporis obtinebat, prout obtinet, reddiderat se indignum, dilecto filio Abbati monasterii sancte Marie Zagrabiensis per quasdam *(sic)*, ut vocatis dicto Johanne et

aliis, qui forent evocandi, super premissis inquireret auctoritate nostra diligentius veritatem, et si per inquisitionem huiusmodi invenerit, ita esse, prefatum Johannem predictis canonicatu et prebenda ac archidiaconatu sententialiter privaret, et amoveret realiter ab eisdem, sicut de iure foret faciendum, et per alias nostras litteras mandavimus, ut, si dictum Johannem predictis canonicatu et prebenda ac archidiaconatu per eum sententialiter privari et ab illis amoveri contingeret, ut prefertur, canonicatum et prebendam ac archidiaconatum predictos eidem Francisco auctoritate predicta conferret. . . . Cum autem . . . idem Franciscus dubitet inquisitionem eandem et executionem predictarum litterarum, si ad eas in partibus illis procedi contingeret, nimium procellari, quodque predictus Johannes dudum maioris excommunicationis sententia innodatus et excommunicatus publice denunciatus, divinis inmiscuerit et inmisceat se officiis, et eandem excommunicationis sententiam per annum et amplius sustinuerit et sustineat animo indurato, redire non curans ad ecclesie unitatem, et etiam dictum archidiaconatum, qui iuxta consuetudines et statuta eiusdem ecclesie saltem subdiaconatus ordinem requirit, per annum et amplius pacifice possidens, se non fecerit, impedimento cessante legitimo et super hoc canonica dispensatione non obtenta, ad illos sacros ordines promoveri, et etiam alia diversa crimina et excessus commiserit, propter que ad obtinendum canonicatum et prebendam ac archidiaconatum predictos inhabilis et indignus existit, pro parte dicti Francisci fuit nobis humiliter supplicatum, ut alicui probo viro in Romana Curia, qui ad inquisitionem et executionem predictos procedat, et etiam super eo, quod dictus Johannes sic excommunicatus denuntiatus divinis se immiscuit et inmiscet officiis et dictos ordines, quos idem archidiaconatus requirit, ut prefertur, non receperit, et super aliis excessibus antedictis contra eundem Johannem inquirat, circummittere et alias sibi in premissis de opportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremus. Nos igitur volentes eundem Franciscum, qui litterarum penitentiarie nostre scriptor et corrector existit, premissorum intuitu favore prosequi gratie amplioris, huiusmodi eius in hac parte supplicationibus inclinati, Discretioni Tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis dicto Johanne et aliis qui fuerint evocandi, ad executionem tam dictarum, quam presentium litterarum auctoritate nostra summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii ac sola facti veritate inspecta procedas, et, si dictum Johannem dicta excommunicationis sententia innodatum divinis huiusmodi se inmiscuisse et inmiscueri et ad sacros ordines, quos idem

archidiaconatus requirit, postquam illum assecutus fuit, impedimento cessante legitimo et super hoc dispensatione canonica non obtenta infra annum se non fecerit promoveri, vel dictum homicidium perpetrasse, aut alia excessus et crimina seu aliquod ipsorum propter que seu quod dictis canonicatu et prebenda ac archidiaconatu de iure privari debeat, commisisse, ut prefertur, inveneris, ipsum auctoritate predicta canonicatu et prebenda ac archidiaconatu predictis auctoritate nostra sententialiter prives, et amoveas realiter ab eisdem, prout de iure fuerit faciendum, ac eosdem canonicatum et prebendam ac archidiaconatum, quorum fructus . . . quadringentorum florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, postquam post huiusmodi privationem et amotionem vacaverint, . . . eidem Francisco . . . conferas et assignes . . . Non obstantibus, quod nuper eidem Francisco . . . de canonicatu, sub expectatione prebende, ac dignitatis, vel personatus, seu officii, cum cura vel sine cura, ecclesie Burdigalensis . . . gratiose duximus pronidendum. Volumus autem, quod si archidiaconatus ipse dignitas vel personatus sit, quamprimum ipse Franciscus . . . illum pacifice fuerit assecutus, predicte littere, per quas sibi de canonicatu sub expectatione prebende et dignitatis . . . ecclesie Burdigalensis providimus, . . . nullius sint roboris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Junii Anno Secundo.

CLXXXVI.

1391. 22. Junii.

Martino Johannis Archidiaconatum de Walko confert.

(Anni II. Liber —. f. 9.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Martino Johannis, Archidiacono de Walko in ecclesia Quinqueecclesiensi, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, quorumcunque Collectorum et Succollectorum fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum tunc vacantia et in antea vacatura collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis

a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Cum itaque postmodum archidiaconatus de Walko in ecclesia Quinqueecclesiensi, quem quondam Henricus de Jecoza, Archidiaconus de Walko in eadem ecclesia, dum viveret, obtinebat, per ipsius Henrici obitum, qui huiusmodi fructuum et proventuum in civitate et diocesi Quinqueecclesiensis Succollector existens extra Romanam Curiam decessit, vacaverit et vacet ad presens, nullusque preter nos hac vice de ipso archidiaconatu disponere potuerit sive possit reservatione et decreto obsistentibus supradictis, Nos volentes tibi, qui presbiter es, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, teque in eadem ecclesia amplius honorare, archidiaconatum predictum, qui curatus et dignitas non tamen maior post pontificalem in eadem ecclesia existit, cuiusque fructus . . . quindecim marcharum argenti puri . . . valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, sic vacantem, etiamsi archidiaconatus ipse dispositioni apostolice alias specialiter reservatus existat, et ad eum consueverit, quis per electionem assumi, . . . tibi conferimus . . . Non obstantibus, . . . quod canonicatum et prebendam necnon magistratum sine cura altaris Undecim millium Virginum, siti in eadem ecclesia, quorum omnium fructus . . . etiam quindecim marcharum argenti . . . valorem annuum . . . non excedunt, canonice nosceris obtinere. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimo Kalendas Julii Anno Secundo.

Simili modo. Venerabili fratri episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii Pechwaradiensis, Quinqueecclesiensis diocesis, ac Preposito ecclesie Quinqueecclesiensis. . . . Datum ut supra.

CLXXXVII.

1391. 20. Junii.

Stephano Andreæ beneficium in diœcesi Vesprimiensi confert.

(Anni II. Liber XIX. l. 168.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Andree, clerico Waradiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes . . . tibi gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, cujus fructus, . . . si cum cura vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . annuum valorem non excedunt, ad . . . dispositio-

nem . . . Prepositi et Capituli ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, . . . pertinens . . . conferendum tibi . . . apostolice donationi reservamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Julii Anno Secundo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis — Abbati Monasterii sancti Aniani de Tichonio, Vesprimiensis diocesis, ac Preposito ecclesie sancti Adalberti martiris Jauriensis. . . . Datum ut supra.

CLXXXVIII.

1391. 17. Junii.

Hermanno Nicolai de Lomnica Canonicatum in ecclesia Scepusiensi confert.

(Anni II. Liber XXIV. f. 42.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Colocensi et — Quinqueecclesiensi ac — Tudensi Episcopis salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . quibus dilectus filius Hermannus Nicolai de Lumpnicz canonicus Baciensis, . . . commendatur, nos inducunt . . . Exhibita siquidem nobis pro parte dicti Hermanni petitio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Montis sancti Martini in Sczepus, Strigoniensis diocesis, quos quondam Johannes Polonus, sine Pollice, ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacantibus, idem Hermannus, vigore quarumdam litterarum apostolicarum per felicis recordationis Urbanum papam VI. predecessorem nostrum, gratiose sibi concessarum, per quas canonicatum ipsius ecclesie obtinens, prebendam inibi expectabat, dictos canonicatum et prebendam sic vacantes, prout ex earum forma poterat, infra tempus legitimum acceptavit, et de illis sibi obtinuit provideri, ipsosque vigore huiusmodi acceptacionis et provisionis assecutus, eos ex tunc tenuit et possedit, prout ad presens tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Hermannus dubitet ex certis causis acceptationem et provisionem huiusmodi viribus non subsistere, et sicut accepimus predicti canonicatus et prebenda adhuc, ut prefertur, vacare noscantur, Nos volentes prefato Hermanno . . . gratiam facere specialem Fraternitati vestre . . . mandamus, quatenus . . . dictos canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . octuaginta florenorum

auri . . . valorem annuum, ut idem Hermannus asserit, non excedunt, . . . eidem Hermanno . . . conferre et assignare curetis . . . Non obstantibus . . . quod idem Hermannus canonicatum et prebendam Baciensem, quorum viginti, et prepposituram sancti Laurentii de Hai, Colocensis diocesis, ecclesiarum, cuius centum et viginti florenorum auri fructus . . . valorem annuum, ut idem Hermannus asserit, non excedunt, noscitur obtinere. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoquinto Kalendas Julii Pontificatus nostri Anno Secundo.

CLXXXIX.

1391. 20. Junii.

Episcopo Tudensi necnon Lectori ac Custodi ecclesiæ Bosniensis mandat, ut controversiam, in negotio Canonicatus Quinqueecclesiensis ortam, dirimant.

(Anni II. Liber XX. f. 22 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri episcopo Tudensi et dilectis filiis — Lectori et Custodi ecclesie Boznensis salutem etc. Exhibita nobis pro parte dilecti filii Nicolai Laurentii, canonici Quinqueecclesiensis, petitio continebat, quod olim ipse in causa per eum contra dilectum filium Johannem Demetrii, qui se gerit pro Cantore ecclesie de Pozega, Quinqueecclesiensis diocesis, super canonicatu et prebenda predicte ecclesie Quinqueeclesiensis, de quibus tunc certo modo vacantibus eidem Nicolao auctoritate apostolica canonice provisum fuerat, et quos dictus Johannes occupaverat et detinebat indebite occupatos, mota et in Apostolico Palatio coram certo auditore causarum dicti Palatii, ex commissione apostolica, diutius ventillata tandem pro se et contra dictum Johannem, per quam dicti canonicatus et prebenda Nicolao adiudicati et super eis Johanni predictis perpetuum silentium impositum extitit, diffinitivam sententiam reportavit, et super executione predicte sententie, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, nostras ad vos sub certa forma litteras impetravit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Nicolaus dubitet, quod prefatus Johannes eosdem canonicatum et prebendam dimiserit, et aliqui alii in eis se intruserint vel intrudant post sententiam predictam, pro parte dicti Nicolai nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi super hoc providere de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni Vestre per apostolica scripta

mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios legitime in huiusmodi executionis negotio procedentes eandem sententiam etiam contra quoscumque alios post dictam sententiam in ipsis canonicatu et prebenda intrusos, vel in posterum intrudendos perinde quoad possessionem dictorum canonicatus et prebende eidem Nicolao dumtaxat tradendam, auctoritate nostra, procedatis ac si contra eos dicta sententia lata foret. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Julii Anno Secundo.

CXC.

1391. 3. Julii.

Paulo Clementis de Tarkő Præposituram Dőmősiensem confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 288 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Waciensi salutem etc. . . . Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus papa VI. predecessor noster omnes dignitates , . . ceteraque beneficia ecclesiastica, tunc apud Sedem Apostolicam vacantia et in antea vacatura, collationi et dispositioni sue reservans. . . . Et deinde prepositura ecclesie beate Margherete Demesiensis, Vesprimiensis diocesis, quam Venerabilis frater noster Petrus Episcopus Transilvanus, tempore promotionis, per eundem predecessorem facta de ipsa ad ecclesiam Transilvanam tunc vacantem, obtinebat, per huiusmodi promotionem et munus consecrationis dicto Episcopo de mandato ipsius predecessoris extra Romanam Curiam predecessore vivente impensum vacante, dictoque predecessore per eum de ipsa prepositura non disposito, sicut Domino placuit sublato, de medio, nos divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti cum a nonnullis revocaretur in dubium, an post dicti predecessoris obitum aliquis preter Romanum Pontificem de dignitatibus . . . aut aliis beneficiis ecclesiasticis, per dictum predecessorem dispositioni sue reservatis et tempore obitus ipsius predecessoris vacantibus, disponere potuisset sive posset, ad huiusmodi ambiguitatis tollendum dubium, per nostras litteras declaravimus dignitates . . . ceteraque beneficia ecclesiastica supradicta, que tempore obitus eiusdem predecessoris sic reservata vacabant, remansisse et remanere per huiusmodi reservationem et decretum affecta, nullumque de illis preter Romanum.

Pontificem ea vice potuisse sive posse disponere quoquomodo, . . . Cum itaque dicta prepositura adhuc, ut premittitur, vacare noscatur. . . . Nos volentes dilectum filium Paulum Clementis de Tarkew, clericum Strigoniensis diocesis, qui, ut asseritur de Baronum genere procreatus existit, apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, nec non consideratione Carissime in Christo filie nostre Marie, Regine Ungarie Illustris, pro ipso Paulo nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gratioso Fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Paulum . . . ad obtinendam eandem Preposituram, que dignitas principalis, cui cura imminet animarum et quam quis per electionem assumi in ipsa ecclesia consuevit, ydoneum esse reppereris, . . . dictam preposituram, que Sedi predicte immediate subesse dinoscitur, cuiusque fructus, redditus er proventus centum marcharum argenti . . . annuum valorem non excedunt, . . . eidem Paulo . . . conferas. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Nonas Julii Anno Secundo.

CXCII.

1391. 17. Julii.

Michaelem, Archidiaconum Temesiensem, propter homicidii crimen beneficio privat, et Dominico Petri Archidiaconatum confert.

(Anni II. Liber XIX. f. 290.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Cenadiensi salutem etc. . . . Hodie siquidem ad audientiam nostram deducto, quod Michael Archidiaconus Themessiensis, in ecclesia Cenadiensi, diabolico spiritu instigatus, in quondam Francisci Thot et Thome Kewp laicorum personas homicidia perpetravit, et nonnulla alia enormia crimina commiserat, Nos attendentes, quod, veris existentibus supradictis, prefatus Michael dicto archidiaconatu Temessiensi, . . . reddiderat se indignum, tibi per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut vocatis dicto Michale et aliis, qui forent evocandi, super premissis, inquireres auctoritate nostra diligentius veritatem, et si . . . premissa vel aliqua crimina, propter que idem Michael archidiaconatu predicto de jure privari debetur, commisisse reppereres, prefatum Michaelem eodem archidiaconatu auctoritate predicta senten-

tialiter privares . . . Nos volentes dilectum filium Dominicum Petri, canonicum Cenadiensem, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, ipsumque in eadem ecclesia amplius honorare, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si per te prefatum Michaelem eodem Archidiaconatu privari . . . contigerit, et per diligentem examinationem eundem Dominicum . . . ad obtinendum dictum archidiaconatum ydoneum esse reppereris, . . . archidiaconatum predictum, qui dignitas non tamen maior post Pontificalem in eadem ecclesia existit, et cui cura imminet animarum, et ad quem consuevit quis per electionem assumi, cuius fructus, redditus et proventus centum florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Dominicus asserit, non excedunt eidem conferas . . . Non obstantibus, . . . quod dictus Dominicus, ut asserit, in sancti Petri de Veteribuda, Vesprimiensis diocesis, et in predicta Cenadiensi canonicatus et prebendas et altare sancte Catherine in ipsa Cenadiensi, quorum omnium fructus . . . centum florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, canonice obtinet, et nuper ei de canonicatu sub expectatione prebende in Zagrabiensi et dignitatis vel personatus seu officii in eadem Cenadiensi ecclesiis gratiose concessimus provideri. Volumus autem, quod quamprimum idem Dominicus vigore presentium dictum archidiaconatum fuerit pacifice assecutus, predicta concessionis gratia in eadem Cenadiensi ecclesia sibi facta et quecumque inde secuta, sint cassa. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimosexto Kalendas Augusti Anno Secundo.

CXCII.

1391. 14. Septembris.

Collationem iurispatronatus parochialium ecclesiarum de Sasad et Örs, per Sigismundum Regem Capitulo ecclesiæ Strigoniensis factam, confirmat.

(Anni II. Liber XX. f. 189.)

Bonifacius etc. Ad perpetuam rei memoriam. Humilibus et honestis supplicum votis, illis potissime, per que ecclesiarum presertim cathedralium utilitatibus ac necessitatibus consulitur, maxime cum super hiis regum et principum nobis precamina porriguntur, libenter annuimus, illaque, quantum cum Deo possumus, prosequimur favoribus opportunis. Sane petitio

pro parte carissimi in Christo filii nostri Sigismundi, regis Ungarie Illustris, nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipse attente considerans, quod fructus, redditus et proventus mense dilectorum filiorum Capituli ecclesie Strigoniensis erant, prout sunt, tenues adeo et exiles, quod canonici eiusdem ecclesie, qui numero trigintanovem existunt, nequibant, prout nequeunt, ex eis condecentem statum tenere, prout ipsius ecclesie, que Metropolitana est, dignitas exigit, ac eisdem Capitulo paterne compatiens, iuspatronatus de Sasad et de Vrs parochialium ecclesiarum, plebaniarum nuncupatarum, Vesprimiensis diocesis, ad ipsum Regem iusto titulo pertinens, infra quarum parochias modicus populus habitare dinoscitur, et in quibus ecclesiis omnimodo iurisdictio et earum dispositio ad Archiepiscopum Strigoniensem pro tempore existentem pertinet, prefato Capitulo, ad finem, quod eedem parochiales ecclesie prefate mense unirentur et incorporentur, liberaliter donavit atque concessit. Quare pro parte Regis et Capituli predictorum nobis fuit humiliter supplicatum, ut easdem parochiales ecclesias, quarum sexcentorum, predicte mense, cuius duorum millium florenorum auri, secundum communem extimationem, valorem annuum, fructus, prouentus et redditus, ut ipse Rex asserit, non excedunt, unire, annectere et incorporare, auctoritate apostolica, de speciali gratia dignaremur, maxime cum ad hoc Venerabilis fratris nostri Johannis, Archiepiscopi Strigoniensis, accedat assensus. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus inclinati, dictas parochiales ecclesias . . . prefate mense . . . perpetuo unimus . . . Ita quod cedentibus, vel decedentibus, dilectis filiis Rectoribus earundem parochialium ecclesiarum, . . . liceat prefatis Capitulo ecclesiarum ac iurium et pertinentiarum predictorum corporalem possessionem libere apprehendere . . . Reservatis tamen de fructibus . . . earundem . . . congruis portionibus, ad eiusdem Archiepiscopi arbitrium moderandis, pro perpetuis vicariis in eisdem ecclesiis instituendis, de quibus ipsi vicarii possint congrue sustentari. . . . Datum apud Sanctum Petrum Decimooctavo Kalendas Octobris Pontificatus nostri Anno Secundo.

CXCIII.

1391. 19. Septembris.

Venceslao Clementis de Bukove beneficium in Zagrabiensi diocesi confert.

(Anni II. Liber XVIII. f. 76.)

Bonifacius Episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Czeslao Clementis de Bucowe, clerico Gneznensis diocesis. . . . Volentes itaque tibi... gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius fructus, redditus et proventus, si cum cura viginti quinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, ad collationem . . . Episcopi Zagrabiensis et . . . canonicorum et personarum ecclesie Zagrabiensis . . . pertinens, . . . si quod vacat ad presens vel cum vacaverit, quod tu . . . duxeris acceptandum, conferendum tibi . . . reservamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertiodecimo Kalendas Octobris Pontificatus nostri Anno Secundo.

Simili modo. Dilectis filiis Decano Gneznensis et Custodi ac Cantori Zagrabiensis ecclesiarum. . . . Datum ut supra.

CXCIV.

1391. 2. Octobris.

Episcopis Tudensi, Episcopo Vesprimiensi et Abbati B. M. V. Scotorum Viennæ iniungit. ut controversiam inter Lectorem ecclesiæ Albæregalis et Capitulum eiusdem ecclesiæ, in causa decimarum ortam diriment.

(Anni II. Liber XX. f. 46 t.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus . . . Tudensi et Vesprimiensi Episcopis et dilecto filio Abbati monasterii beate Marie Scotorum in Wienna, Pataviensis diocesis, salutem etc. . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Thome Petri Scolastici, Lectoris nuncupati, ecclesie Beate Marie Alberegalis Vesprimiensis, diocesis, petitio continebat, quod olim ipse in causa per eum, contra dilectos filios Cantorem et

Capitulum eiusdem ecclesie, super quibusdam decimis, novis fructibus et emolumentis tunc expressis, ad ipsum Thomam, iusto titulo, pertinentibus, et quibus iidem Cantor et Capitulum ipsum Thomam indebite spoliarant illaque usurparant, mota et coram certis auditoribus causarum Palatii Apostolici ex commissionibus apostolicis diutius ventilata, tres, per quas dicti Cantor et Capitulum inter cetera in milletrecentis florenis auri de camera pro eisdem decimis, fructibus et emolumentis taliter usurpatis eidem Thome restituendis per eos, ac etiam in expensis in huiusmodi causa factis condemnati fuerunt, diffinitivas sententias pro se et contra eosdem Cantorem et Capitulum reportavit, et super executione sententiarum et satisfactione expensarum huiusmodi, que ad certas florenorum summas taxate fuerunt, apostolicas ad vos sub certa forma litteras impetravit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, licet Cantor et Capitulum prefati cum eodem Thoma postea convenissent, quod ipse Thomas eisdem Cantori et Capitulo huiusmodi milletrecentorum et etiam pro huiusmodi expensis florenorum summas remittere deberet et ipsi pro huiusmodi florenorum summis, quedam palatium et vineam ecclesie predicte in eadem diocesi consistentia, similiter tunc expressa, per ipsum Thomam, cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem palatii et vinee, per duodecim annos possidenda, efficaciter assignarent, et in conventione predicta etiam nonnulla rationabilia pacta etiam tunc expressa inter partes ipsas adiecta fuissent, ipsaque palatium et vineam sibi realiter assignassent, tamen postea predicti Cantor et Capitulum eundem Thomam huiusmodi palatio et vinea, que ipse vigore assignationis eiusdem de illis per ipsos Cantorem et Capitulum facte, per unum annum et amplius possedit, rationabili causa cessante, spoliarint, sibique de omnibus florenorum summis predictis satisfacere et pacta predicta observare temere non curarint hactenus, neque curent indebite et iniuste, in delusionem executionis eiusdem, animarum suarum periculum, Apostolice Sedis contemptum ac eiusdem Thome non modicum preiudicium et gravamen; pro parte dicti Thome nobis fuit humiliter supplicatum, ut dictas sententias executioni debite demandare ac alias sibi super premissis de opportuno remedio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos itaque, huiusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni Vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios in huiusmodi executionis negotio procedatis, iuxta ipsarum litterarum vobis directarum continentiam et tenorem, et nichilominus processus per vos super hiis habendos, quotiens opus fuerit, auctoritate nostra aggravetis. Contradicto-

res per censuram ecclesiasticam appellatione posposita compescendo. Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Nonas Octobris Anno Secundo.

CXCV.

1391. 3. Octobris.

Magistrum Thomam Petri, Canonicum ecclesiæ Albaregalis, Pontificium Capellanum creat.

(Regest. Bullarum. Holumen 313. f. 192.)

Bonifatius etc. Dilecto filio Magistro Thome Petri, Scolastico ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, Capellano nostro salutem Virtutibus clarus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Nonas Octobris Pontificatus nostri Anno Secundo.

Tho. de Zoannis, Pro N. de Perusio,
A. de Baronibus, A. de Baronibus.

CXCVI.

1391. 8. Novembris.

Episcopo Tusculano Præpositusam ecclesiæ Agriensis confert.

(Anni III. Liber XVII. f. 253 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Pileo episcopo Tusculano salutem et apostolicam benedictionem. Dum exquisitam Tue circumspectionis industriam diligenter attendimus et paterna consideratione pensantes, quod tu Romanam ecclesiam, cuius honorabile membrum existis, tuorum honoras magnitudine meritorum, dignum reputamus et debitum, ut eam tibi reperias in exhibitione gratiarum munificam, et in tuis oportunitatibus liberalem. Cum itaque prepositura ecclesie Agriensis quam dilectus filius Nicolaus electus Colocensis, tempore promotionis per nos facte de ipso ad ecclesiam Colocensem, cui Bachiensis ecclesia canonice est unita, tunc pastore carente obtinebat, prout obtinet per huiusmodi promotionem et munus consecrationis impendendum eidem electo vacare speretur, Nos, oportunitatibus tuis, ut incumbentia tibi expensarum onera facilius sup-

portare valeas, de alicuius subventionis auxilio providere, tibique specialem gratiam facere volentes, eandem preposituram, cuius fructus . . . quingentorum florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, . . . conferendam tibi motu proprio donationi apostolice reservamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Idus Novembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

Simili modo. Venerabilibus fratribus Transilvanensi et Segobiensi Episcopis ac dilecto filio Archidiacono Zagrabiensi. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Idus Novembris Pontificatus nostri Anno Secundo.

CXCVII.

Sine dato.

Sebastiano Thomae de Bela dispensationem concedit.

(Anni II. Liber —. f. 9.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Sebastiani Thome de Bela, clerici tue diocesis, petitio continebat, quod, cum olim ipse Johannis filii Johannis Sarraceni, laici dicte diocesis, servitiis insisteret, idem Johannes familiaribus suis mandari fecit, ut, quamcito pro parte eiusdem Johannis ad sequendum eum, quocumque iret, vocati forent, cum equis et armis suis paratos se disponerent, prefatus Sebastianus certa die cum nonnullis aliis familiaribus huiusmodi, ut premittitur, vocatus, armatus et equestri, prefatum Johannem, ad quem finem ignorans, secutus, acceptis duobus arcis laicis (?) et dicto Johanni adductis, idem Johannes uno captivorum huiusmodi per eum libere dimisso, alterum fecit suis carceribus mancipari. Et deinde parvo tempore lapso eodem Sebastiano ad dictum incarceratum super quodam furto sex boum quibusdam pauperibus subditis dicti Johannis ablatorum examinandum per prefatum Johannem transmisso, idem Sebastianus recepto prius ab eodem Johanne iuramento videlicet, quod si idem. . . . (Cætera desunt.)

ANNUS TERTIUS.

1391. 9. NOVEMBRIS - 1392. 8. NOVEMBRIS.

CXCVIII.

1391. 9. Novembris.

Privilegia Pontificum et Regum Abbatiæ Sanctæ Mariæ de Monte concessa confirmat.

(Originale in Tabulario Regnicolari Hungarico.)

Bonifacius . . . Dilectis filiis Abbati et Conventui Monasterii Montis sancte Marie, Cisterciensis ordinis, Jauriensis diocesis, salutem . . . Dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates, a predecessoribus nostris Romanis Pontificibus, sive per privilegia, sive per alias indulgentias, vobis et Monasterio vestro concessas, necnon libertates et exemptiones secularium exactionum a regibus et principibus vel aliis Christi fidelibus . . . indultas . . . confirmamus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Idus Novembris Pontificatus nostri Anno Tertio.

CXCIX.

1391. 17. Novembris.

Præposituram ecclesiæ Csanadiensis Georgio Blasii, canonico ecclesiæ de Pozsega, confert.

(Anni III. Liber XXXVI. f. 47 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Cenadiensi salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Georgius Blasii dictus Solanna, canonicus sancti Petri de Posega, Quinqueecclesiensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsius Georgii petitio continebat, quod olim Jacobus Jacobi canonicus et Prepositus tue Cenadiensis ecclesie quondam Johannem, Rectorem parochialis ecclesie sancti Georgii de Perymes, tue Cenadiensis diocesis, in presbyteratus ordine constitutum, absque ratiionabili causa captivarit, seu captivari mandavit et fecit, et tamdiu certis

privatis carceribus detinuit et torqueri fecit, donec ab eo quingentos florenos monete ungaricalis extorsit, ac premissis non contentus dictum Johannem tantum cruciavit, quod ipse Johannes, postquam de dictis carceribus liberatus fuit, intra paucos dies expiravit; preterea prenominatus Jacobus dilectam in Christo filiam Elisabeth, coniugem dilecti filii Nicolai dicti Sabow, laici dicte tue diocesis, per multa tempora in suam focariam et concubinam tenuit, in dedecus ordinis clericalis; et insuper ipse Jacobus auctoritate apostolica diversis maiorum excommunicationum sententiis certis de causis innodatus per sex annos et ultra animo indurato sustinuit, prout sustinet, divinis se etiam inmiscendo illaque profanando. Nos igitur attendentes, quod, veris existentibus supradictis, prefatus Jacobus canonicatu et prebenda ac prepositura dicte tue ecclesie, quos obtinet, reddidit se indignum, ac volentes Georgio, qui presbyter est, . . . gratiam facere specialem, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si, vocatis dicto Jacobo, et aliis qui fuerint evocandi, predictus Georgius eundem Jacobum super premissis accusare ac se iuxta formam iuris inscribere velit, postquam accusare ceperit et se inscripserit in forma predicta, super premissis . . . te diligenter informes, et si . . . dictum Jacobum in premissis vel aliquo eorundem, quod ad privationem ipsius Jacobi sufficiat, culpabilem fore reppereris, eundem Jacobum canonicatu et prebenda ac prepositura . . . sententialiter prives, eumque amoveas realiter . . . Et nichilominus . . . eosdem canonicatum et prebendam ac preposituram, quorum fructus . . . centum et sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Georgius asserit, non excedunt, cum illos, ut prefertur, vacare contigerit, . . . eidem Georgio . . . conferas et assignes . . . Non obstantibus, . . . quod prefatus Georgius, ut asserit, parochialem ecclesiam sancte Marie de Swar, dicte Quinqueecclesiensis diocesis, necnon canonicatum et prebendam ac altare sancti Nicolai situm in predicta sancti Petri, quorum . . . proventus quadraginta florenorum . . . valorem annuum non excedunt, canonice obtinet; ac super canonicatu et prebenda in Bosnensi in Palatio apostolico litigat; et nos dudum sibi de thesauraria in prefata sancti Petri ecclesiis, tunc certo modo vacante, gratiose concessimus provideri. Volumus autem, . . . quod ipse, quamprimum canonicatum et prebendam dicte ecclesie tue aut preposituram prefatos . . . fuerit pacifice assecutus, parochialem ecclesiam, quam obtinet, nec non canonicatum et prebendam prefatos, super quibus . . . litigat, si illos interim evincat et assequatur, . . . dimittere teneatur . . . Datum apud Sanctum Petrum Decimoquinto Kalendas Decembris Anno Tertio.

CC.

1391. 1. Decembris.

Johannem Nicolai propter excessus canonicatu ecclesiæ Transsilvanensis privari iubet.

(Anni III. Liber XXXVI. f. 233.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Transsilvanensi salutem etc. Ad audientiam nostram pervenit, quod Johannes Nicolai Wivarasy, canonicus Transsilvanensis, sue fame prodigus ac vitio libidinis estuans, cum dilecta in Christo filia Helena, uxore dilecti filii Johannis Demetrii civis Transsilvanensis, adulterium commisit, quodque postea, cum idem Johannes Nicolai quadam die quondam Paulum Quinternistam, laicum familiarem suum armatum, cum certis suis in hac parte complicibus, pro capienda sibique adducenda Helena predicta per eosdem Paulum et complices, causa explende libidinis huiusmodi cum eadem per Johannem Nicolai, ad quandam domum in civitate Transsilvanensi consistentem, in qua dicta Helena tunc habitabat, destinasset, ipse Paulus in actu capiendi eandem Helenam, iuxta mandatum per ipsum Johannem Nicolai super hoc sibi factum, existens ibidem ad rumorem populi extitit interfectus. Preterea, cum successive idem Johannes Nicolai cum quondam uxore quondam dilecti filii Antonii Molendinarii de superiori Eniedino, laici Transsilvanensis diocesis, etiam adulterium commisisset, idem Antonius id egre ferens eandem uxorem propterea interemit. Nos igitur attendentes, quod, veris existentibus supradictis, prefatus Johannes Nicolai canonicatu et prebenda ecclesie Transsilvaniensis . . . reddidit se indignum; Fraternitate tue . . . mandamus, quatenus, vocatis dicto Johannes Nicolai et aliis, qui fuerint evocandi, super premissis summarie inquiras . . . veritatem, et si . . . inveneris dictum Johannem Nicolai predictos excessus aut eorum aliquem, qui ad hoc sufficiat, commisisse, ipsum prefatis canonicatu et prebenda . . . sententialiter prives et amoveas realiter . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendas Decembris Anno Tertio.

CCI.

1391. 1. Decembris.

Ladislao Petri de Sáró et uxori eius Annæ dispensationem in quarto affinitatis gradu concedit.

(Anni III. Liber XXXVI. f. 236.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Oblate nobis pro parte nobilis viri Ladislai Petri de Sarou militis et nobilis mulieris Anne eius uxoris, tue diocesis, petitionis series continebat, quod olim ipsi ignorantes, quod quondam Catherina prima dicti Ladislai uxor dicte Anne quarto consanguinitatis gradu invicem erat coniuncta, matrimonium inter se per verba legitima de presenti in facie ecclesie, bannis non editis, cum in partibus illis banna edi non consueverint, intervenientibus tamen aliis solemnitatibus consuetis, publice contraxerunt illudque carnali copula consumarunt et prolem exinde procrearunt. Cum autem predicti Ladislaus et Anna in huiusmodi matrimonio remanere nequeant, super hoc dispensatione apostolica non obtenta, pro parte ipsorum Ladislai et Anne nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis de absolutionis beneficio ab excommunicationis sententia, quam propter premissa incurrerunt, et oportune dispensationis gratia super hoc providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, ex certis causis nobis expositis, huiusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus dictis Ladislao et Anna, prius ad tempus, de quo tibi videbitur, ab invicem separatis, ipsos Ladislaum et Annam, si hoc humiliter petierint, ab excommunicationis sententia, quam, ut premittitur, incurrerunt, auctoritate nostra hac vice duntaxat absolvas in forma ecclesie consueta, iniunctis eis inter alia, sub virtute sacramenti per eos prestandi, quod similia de cetero non committant, nec facientibus ea prestent auxilium, consilium vel favorem, et pro modo culpe salutari penitentia et aliis, que de iure fuerint iniungenda. Et demum, si tibi expediens videatur, quod huiusmodi sit dispensatio concedenda, dictaque Anna propter hoc rapta non fuerit, cum eisdem Ladislao et Anna, ut impedimento quod ex premissis provenit, non obstante matrimonium insimul de novo contrahere, et in eo, postquam contractum fuerit, remanere libere et licite valeant, eadem auctoritate dispenses, prolem ex huiusmodi matrimonio

susceptam et suscipiendam legitimam decernendo. Volumus autem, quod ille ex eisdem Ladislao et Anna, qui alteri supervixerit, perpetuo remaneat innuptus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Tertio.

CCII.

1391. 11. Decembris.

Emericum Silvestri Abbatem Monasterii Pechvaradiensis O. S. B. creat.

(Anni III. Liber VI. f. 86. Koller. III. 206.)

Bonifacius . . . Dilecto filio Emerico Silvestri Abbati Monasterii Pechwaradiensis, ordinis sancti Benedicti, Quinqueecclesiensis diocesis, salutem . . . Dudum siquidem quondam Dominico Abbate Monasterii Pechwaradiensis, ordinis sancti Benedicti, Quinqueecclesiensis diocesis, regimini eiusdem Monasterii presidente, nos cupientes eidem Monasterio, cum vacaret, per Apostolice Sedis providentiam utilem et idoneam presidere personam, provisionem eiusdem Monasterii ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam . . . Postmodum vero prefato Monasterio per obitum dicti Dominici Abbatis, qui extra Romanam Curiam debitum nature persolvit, Abbatis solatio destituto, . . . per deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te monachum eiusdem Monasterii, ordinem ipsum expresse professum, et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione et aliis multiplicum virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, convertimus oculos mentis nostre, quibus omnibus attente meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus . . . eidem Monasterio . . . providemus, teque illi preficimus in Abbatem . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Idus Decembris Anno Tertio.

Simili modo. Dilectis filiis Conventui Monasterii Pechwaradiensis, ordinis sancti Benedicti, Quinqueecclesiensis diocesis, salutem . . . Datum ut supra.

Venerabili fratri Episcopo Quinqueecclesiensi salutem . . . Datum ut supra.

CCIII.

1391. 18. Decembris.

Sigismundo Regi et eius militibus, contra infideles ac schismaticos pugnantibus, indulgentias concedit.

(Anni III. Liber XXXVI. f. 128.)

Bonifacius etc. Carissimo in Christo filio Sigismundo, regi Ungarie illustri, salutem etc. Quanto pre cunctis mentis nostre desiderabilibus catholice fidei affectamus augmentum, tanto hiis, qui huiusmodi adversantur augmento, procuramus sollertius obviare, et ut nomen, cuius vices licet immeriti gerimus, amplietur in terris et hostium fidei catholice conteratur, ac precipue ad eradicationem et exterminium illorum ex hostibus ipsis, qui ad caulam gregis dominici converti non curant, veluti nocivorum tribulorum, digne fideles Christi spiritualibus gratiis inuitamus. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, et etiam experientia manifestat, pro defensione huiusmodi fidelium ac etiam regnorum tuorum Ungarie ac Dalmatie et aliarum terrarum partium tibi subiectarum diversarum inmanissimis Turchis nec non Manicheis ac hereticis et plerisque aliis christiani nominis hostibus in locis, regnis, terris et partibus antedictis vicinis et etiam Scismaticis in partibus Bosnensibus commorantibus, qui crebris insultibus regna terras et partes tibi subiectas huiusmodi hostiliter expugnare ac ea sibi subiugare, nec non subditos huiusmodi in eisdem regnis, terris et partibus tibi subiectis commorantes crudeliter invadere, occidem seu captivare conautur, te personaliter oporteat in armis resistere, obicere, ponere manu forti, Nos, ut tu ac eciam principes, nobiles, magnates et predicti subditi et fideles contra hostes et Scismaticos antedictos in augmentum fidei prefate eo promptius et efficacius exurgatis, quanto ex hoc potiorem gratiam vos noveritis percepturos de omnipotentis Dei, nostra et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, tibi ac etiam principibus, nobilibus, magnatibus, subditis et fidelibus ipsis et cuilibet eorum vere penitentibus et confessis, qui quotiescunque tu et etiam iidem nobiles, magnates, subditi et fideles contra eosdem hostes et scismaticos tecum causa impugnandi seu invadenditis eos seu eis communiter vel divisim resistendi et eorum occasione transieritis, illam indulgentiam, quam proficiscentibus in terre sancte subsidium Sedes Apostolica concedere consuevit, auctoritate apostolica concedi-

mus per presentes. Nulli ergo etc. nostre concessionis infringere etc. Siquis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kalendas Januarii Anno Tertio.

CCIV.

1391. 18. Decembris.

Sigismundo Regi et eius militibus dispensationem a ieiunio concedit.

(Anni III. Liber XXXVI. f. 128 t.)

Bonifacius etc. Carissimo in Christo filio Sigismundo, Regi Ungarie Illustri salutem etc. Animarum salutem et defensionem catholice fidei, professorumque ipsius plenis desideriis affectantes, libenter illa concedimus, per que Christi fideles ad defensionem huiusmodi inducuntur. Cum itaque, sicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, pro defensione Ungarie et Dalmatie necnon aliorum Regnorum tuorum atque aliarum partium diversarum tibi subiectarum, nec non et subditorum tuorum contra impiissimos Turchos, Manicheos hereticos atque alios infideles diversos, eiusdem fidei hostes, qui in diversis locis, eiusdem regni partibus et terris vicinis commorantur, et contra Scismaticos in partibus Bosnensibus degentes cum exercitu valido ac potenti personaliter transire et transeundo ad loca silvestria, ubi penuria, et quandoque carentia victualium habetur, te oporteat declinare; nos tuis in hac parte supplicationibus inclinati tecum et etiam cum principibus, proceribus et magnatibus, necnon nobilibus et aliis fidelibus, qui tecum pro tempore contra eosdem hostes transitum fecerint seu proficiscentur, ut diebus, quibus ieiunia sunt per ecclesiam instituta, ieiunare minime teneamini et etiam predictis et aliis diebus, quibus esus carnium est prohibitus de consuetudine vel de iure, carnibus et lacticiniis vesci possitis, quotiens in locis, huiusmodi, in quibus carentia seu penuria huiusmodi victualium extiterit, eritis, super quibus tuam et etiam dictorum principum, procerum, magnatum, nobilium et aliorum fidelium, qui tecum transierint aut profiscentur, ut prefertur, conscientias oneramus quibuscunque constitutionibus apostolicis contrariis nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica tenore presentium dispensamus. Nulli ergo etc. concessionis infringere etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kalendas Januarii Anno Tertio.

CCV.

1391. 18. Decembris.

Sigismundo Regi et eius subditis indulget, ut litteris apostolicis extra fines Hungariæ et provinciarum adnexarum ad iudicium conveniri nequeant.

(Anni III. Liber XXXVI. f. 128.)

Bonifacius episcopus etc. Carissimo in Christo Sigismundo, Regi Ungarie Illustri, salutem etc. Eximie devotionis affectus, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, promeretur, ut non solum personam tuam, sed etiam alios in tuis regnis commorantes spiritualibus gratiis et favoribus prosequamur. Tuis igitur in hac parte supplicationibus inclinati auctoritate tibi presentium indulgemus, ut usque ad nostrum beneplacitum tu et quecumque alie persone ecclesiastice et seculares infra terminos et limites Ungarie, Dalmatie, Croatie et Sclavonie et aliorum regnorum pro tempore commorantes nequeatis per litteras apostolicas iam forsan impetratas, per quas nondum ad citationem partium est processum, vel etiam in posterum impetrandas seu earum auctoritate, quorumcumque tenorum existant, non existant, non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem extra fines et terminos dictorum regnorum conveniri vel trahi ad iudicium, dummodo tu et persone predicte infra regna predicta parati sitis de vobis conquerentibus coram competentibus iudicibus legitime stare iuri et exhibere iustitie complementum, salvo in hoc iudice (?) in Romana Curia, que communis patria et oppressorum refugium esse dinoscitur, exercendo. Nos enim ex nunc decernimus irritum et inane, quicquid contra huiusmodi indulti nostri tenorem a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo etc. nostre concessionis et constitutionis infringere etc. Signis autem etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kalendas Januarii Anno Tertio.

CCVI.

1391. 29. Decembris.

Ladislao Petri de Sáró et uxori eius Annæ dispensationem in quarto affinitatis gradu largitur.

(Anni III. Liber XXXVI. f. 236 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Oblate nobis pro parte nobilis viri Ladislai Petri de Sarou militis et nobilis mulieris Anne Ladislai domicelle, tue diocesis, petitionis series continebat, quod olim ipsi ignorantes, quod prefatus Ladislaus cum quondam Nicolai muliere, que ipsi Anne quarto consanguinitatis gradu attinebat, matrimonium per verba legitima de presenti contraxerat, carnali copula inter eos subsecuta et prole procreata, tamquam simplices et ignari per similia verba de presenti matrimonium invicem contraxerunt, similiter carnali copula postmodum inter eos subsecuta et prolem exinde procrearunt, quodque ex eorum separatione, si fieret, gravia scandala possent verissimiliter exoriri. Quare pro parte ipsorum Ladislai et Anne nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere eis super hoc de absolutionis beneficio ab excommunicationis sententia, quam propter premissa incurrisse dinoscuntur et dispensationis gratia de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui libenter cunctorum Christi fidelium scandalis obviamus et saluti et tranquillitati consulimus, eorundem huiusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ipsos Ladislaum et Annam ab excommunicationis sententia, quam propter premissa incurrisse noscuntur, si hoc humiliter petierint, auctoritate nostra, iuxta formam ecclesie consuetam, absolvas, iniunctis eis inter alia sub virtute iuramenti per eos prestandi, quod similia de cetero non committant, nec facientibus ea prestent auxilium et favorem, et pro modo culpe penitentia salutari et aliis, que de iure fuerint iniungenda, et si tibi expediens videatur, super quo tuam conscientiam oneramus, ipsis quoad thorum separatis ad tempus, de quo tibi videbitur expediri, demum cum eisdem Ladislao et Anna, ut impedimento, quod ex consanguinitate huiusmodi provenit, non obstante in huiusmodi matrimonio licite remanere valeant, eadem auctoritate dispenses, prolem ex huiusmodi matrimonio susceptam et suscipiendam legitimam decernendo. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Kalendas Januarii Anno Tertio.

CCVII.

1391. 29. Decembris.

Nicolao Petri, canonico Vesprimiensi, canonicatum in ecclesia Transsilvana confert.

(Anni III. Liber XXX. f. 171 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Archidiacono de Kikilleu in ecclesia Transilvana salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Nicolaum Petri, canonicum ecclesie Vesprimiensis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi speciali gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si dictum Nicolaum ad hoc ydoneum esse reppereris, ei de canonicatu ecclesie Transilvane . . . provideas . . . Non obstantibus, . . . quod dictus Nicolaus, ut asseritur, canonicatum et prebendam predicte ecclesie Vesprimiensis diocesis ac parochialem ecclesiam sancti Laurentii de Ewsi, Vesprimiensis diocesis, noscitur obtinere. Volumus autem quod dictus Nicolaus, quam primum vigore presentium fuerit dignitatem, vel personatum seu officium curatum pacifice assecutus, parochialem ecclesiam prefatam, quam, ut prefertur, obtinet, quamque ex tunc vacare decernimus omnino, prout etiam dictus Nicolaus ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Kalendas Januarii Anno Tertio.

CCVIII.

1392. 12. Januarii.

Nicolaum Blasii canonicatu Quinqueecclesiensi privari iubet, et eius beneficium Urbano Pauli, clerico Quinqueecclesiensi, confert.

(Anni III. Liber XXVI. f. 280.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . super quibus dilectus filius Urbanus Pauli, clericus Quinqueecclesiensis diocesis, . . . commendatur, . . . nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte dicti Urbani, petitio continebat, quod licet Nicolaus Blasii, alias

sancti Ambrosii, canonicus Quinqueecclesiensis, ad instantiam dilecti filii Dominici Nicolai canonici Boznensis et propter contumaciam — seu manifestam offensam publice et canonice excommunicatus et talis denunciatus diutius extiterit ac denuncietur, et etiam huiusmodi sententia eiusdem Nicolai Blasii huiusmodi crescente contumacia et protervia — aggravata — et reaggravata, nec non successive etiam auctoritate apostolica auxilium brachii secularis contra eum invocatum in forma consueta fuerit, nihilominus tamen dictus Nicolaus Blasii, ob huiusmodi sententia absolutione canonica non obtenta, fere per duos annos publice divinis se immiscuit et immiscet officiis illa in contemptum clavium, ut creditur, publice celebrando imo verius profanando, redire non curans ad ecclesie unitatem. Nos igitur attendentes, quod, veris existentibus supradictis, idem Nicolaus canonicatu et prebenda, quos in ecclesia Quinqueecclesiensi obtinet, reddidit se indignum, ac super hiis ne premissa impunita remaneant, proinde dictoque Urbano premissorum suorum meritorum intuitu specialem gratiam facere volentes, Fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si idem Urbanus se in forma iuris voluerit inscribere et dictum Nicolaum de premissis accusare et, postquam se inscripserit et ipsum Nicolaum coram te accusaverit de premissis, vocatis dicto Nicolao et aliis qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod canonicum fuerit appellatione remota decernas faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari, et nichilominus si, per te prefatum Nicolaum dictis canonicatu et prebenda sententialiter privari et ab eis amoveri contigerit, eosdem canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, cum illos, ut prefertur, vacare contigerit, . . . eidem Urbano . . . assignes . . . Non obstantibus, . . . quod prefatus Urbanus super canonicatu et prebenda ecclesie sancti Johannis in Castro Quinqueecclesiensi, quorum fructus . . . decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum . . . non excedunt, in Romana Curia noscitur litigare . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Januarii Anno Tertio.

CCIX.

1392. 9. Februarii.

Johanni Petri canonicatum in ecclesia Orodiensi confert.

(Anni III. Liber XXX. f. 25.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Petri canonico ecclesie sancti Martini de Orod, Cenadiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie sancti Martini de Orod, Cenadiensis diocesis, . . . tibi conferimus Non obstantibus, . . . quod, ut asseris, altare beate Marie Virginis situm in ecclesia Waradiensi, quod sine cura est, et cuius fructus . . . quinque marcharum argenti auri . . . valorem annuum non excedunt, obtines, quodque nuper de canonicatu sub expectatione prebende Cenadiensis per quasdam providimus, ac de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo ad collationem . . . Episcopi Waradiensis et prepositi Waradiensis ecclesiarum . . . pertinente per alias nostras literas gratiose mandavimus provideri, quas quidem literas, per quas tibi de huiusmodi benefitio provideri mandavimus, ut prefertur, et processus habitos per easdem et quecumque inde secuta ex nunc quoad curatum beneficium dumtaxat cassamus et irritamus ac nullius esse volumus roboris vel momenti . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Idus Februarii Pontificatus nostri Anno Tertio.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tornacensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancte Marie de Egris, Cenadiensis diocesis, ac Preposito ecclesie sancti Salvatoris minoris Cenadiensis . . . Datum ut supra.

CCX.

1392. 10. Februarii.

Johanni Petri, Rectori altaris b. Mariæ in ecclesia Waradiensi, beneficium in dioecesi Waradiensi confert.

(Anni III. Liber XXVIII. f. 101.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Petri, Rectori altaris beate Marie siti in ecclesia Waradiensi, salutem etc. Vita ac morum honestas . . . super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, cuius fructus, . . . si cum cura viginti quinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, ad collationem . . . Episcopi Waradiensis et . . . Prepositi et Capituli ecclesie Waradiensis . . . pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non existat, si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, . . . conferendum tibi . . . donationi apostolice reservamus. Non obstantibus, . . . quod, ut asseris, altare beate Marie situm in ecclesia Waradiensi, quod sine cura est, et cuius fructus . . . viginti florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, obtines, et quod nos nuper tibi de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Cenadiensis per alias nostras literas gratiose mandavimus provideri. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Februarii Anno Tertio.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Perusino et Dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Gerardi Cenadiensis ac . . . Preposito ecclesie sancti Stephani de Promontorio Waradiensi. . . . Datum ut supra.

CCXI.

1392. 23. Februarii.

Blasium Johannis, presbyterum Csanadiensem, lectoratu Csanadiensis ecclesiæ privari iubet, et beneficium Valentino Thomæ, Canonico Csazmensi, confert.

(Anni III. Liber XXVI. f. 210 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Petro Episcopo Sagonensi in Romana Curia commoranti salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . super quibus dilectus filius Valentinus Thome, canonicus ecclesie Sancti Spiritus Casmensis, Zagrabiensis diocesis, . . . commendatur . . . nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsius Valentini petitio continebat, quod orta dudum inter ipsum et dilectum filium Blasium Johannis, qui se gerit pro presbytero Cenadiensis diocesis, super lectoratu dicte ecclesie, de quo tunc per obitum quondam Dominici Iwani eiusdem ecclesie lectoris, extra Romanam Curiam defuncti, vacante Valentinus sibi auctoritate apostolica gratiose et canonice mandatum fuisse provideri, dictumque lectoratum vigore gratie et mandati huiusmodi sibi deberi, prefatumque Blasium se gratie et mandato huiusmodi contra iustitiam opposuisse et opponere . . . et eundem lectoratum occupasse ac detinuisse et detinere indebite occupatum; Blasius vero predictus lectoratum ipsum ad se de iure spectare asserebant, prout asserunt, materia questionis et causa huiusmodi ad Sedem Apostolicam legitime introducta, Nos causam ipsam tibi, tunc Capellano nostro et causarum Palatii apostolici auditori, ad instantiam dicti Valentini audiendam commisimus et fine debito terminandam, tuque in causa huiusmodi ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, inter partes easdem diceris processisse. Cum autem . . . prefatus Blasius dictum lectoratum, qui dignitas non tamen principalis in eadem ecclesia existit, tunc possidens parochialem ecclesiam sancti Georgii martiris, dicte Zagrabiensis diocesis, tunc vacantem, auctoritate ordinaria sibi collatam assecutus, lectoratum et parochialem ecclesiam predictos per plura tempora contra canonicas sanctiones simul detinuit indebite occupatos, Nos statum cause huiusmodi habentes presentibus pro expresso, ac volentes eidem Valentino, premissorum meritorum suorum intuitu, gratiam facere specialem, ipsum que in eadem ecclesia amplius honorare, Discretioni tue, qui adhuc locum unius ex auditoribus causarum dicti Palatii de mandato nostro tenes, . . .

mandamus, quatenus, vocatis dicto Blasio et aliis, qui fuerint evocandi super premissis, auctoritate nostra te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi tibi constiterit eundem Blasium lectoratum et parochialem ecclesiam predictos absque canonica dispensatione simul detinuisse indebite occupatos, ut perfertur, eidem Blasio super ipso lectoratu auctoritate nostra perpetuum silentium imponas, ipsumque lectoratum, qui alias Scolastria nuncupatur, et cuius fructus . . . centum florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, sive, ut perfertur, . . . sive alias quovis modo vacet, . . . ipseque lectoratus curatus existat, et ad eum consueverit quis per electionem assumi, . . . eidem Valentino conferas et assignes. Non obstantibus, . . . quod idem Valentinus, ut asserit, canonicatum et prebendam dicte ecclesie Sancti Spiritus, quorum . . . proventus quinquaginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Martii Anno Tertio.

CCXII.

1392. 23. Februarii.

Matthiæ Petri de Alörs, canonico Alba-Regalensi, præposituram s. Nicolai, extra muros Albensis civitatis, confert.

(Anni III. Liber XXVI. f. 300 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Monopolitano et dilectis filiis Abbati monasterii sancti Aniani de Tihonio ac Lectori ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. . . . Vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos dilectus filius Mathias Petri de Allwrs, canonicus ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, . . . commendatur . . . Cum itaque, sicut accepimus, prepositura magistratus nuncupata in ecclesia sancti Nicolai extra muros Albensis, dicte diocesis, ex eo, quod dilectus filius Martinus Pauli, frater domus sancti Pauli primi heremite prope Budam, ordinis sancti Augustini, dicte diocesis, tunc clericus secularis existens ac dictam preposituram obtinens domum ipsam ingressus in ea per fratres eiusdem domus fieri consuetam professionem emisit regularem, vacet ad presens, et tanto tempore vacaverit, quod eius collatio est secundum Lateranensis statuta concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta; Nos volentes dicto Mathie . . . gratiam facere specia-

lem, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . preposituram predictam, cujus fructus . . . ducentorum et quinquaginta florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, etiam si curata et dignitas principalis in dicta ecclesia sancti Nicolai existat, et ad eam consueverit quis per electionem assumi, . . . eidem Mathie . . . assignare curetis . . . Non obstantibus, . . . quod idem Mathias, ut asserit, super canonicatu et prebenda beate Marie predicte, quorum possessionem nondum habet, et quorum fructus quinquaginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, unam pro se et contra quendam adversarium suum in Palatio apostolico litigando, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, diffinitivam sententiam reportavit, et nos nuper sibi de prefate sancti Nicolai ac Vesprimiensis sub expectationibus prebendarum nec non dignitatis, personatus vel officii cum cura vel sine cura eiusdem Vesprimiensis ecclesiarum canonicatibus gratiose concessimus provideri. Volumus autem, prout idem Mathias id sponte voluit, quod, quamprimum ipse vigore presentium prefatam preposituram fuerit pacifice assecutus, predicta concessionis gratia in ecclesia Vesprimiensi prefata per nos, ut premittitur, sibi facta quoad dignitatem personatum seu curatum officium dumtaxat sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Martii Anno Tertio.

CCXIII.

1392. 1. Martii.

Thomam Ladislai de Vetés, clericum Transsilvanum, canonicatu ecclesiæ Albæregalis privari et Petrum Andreæ in eundem canonicatum induci iubet.

(Anni III. Liber XXVI. f. 279 t.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Tudensi et Vesprimiensi Episcopis, ac dilecto filio Thesaurario ecclesie Vesprimiensis salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Petri Andree, canonici ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, petitio continebat, quod olim ipse in causa per eum contra quondam Lucam Francisci clericum super canonicatu et prebenda dicte ecclesie, de quibus tunc certo modo vacaturis eidem Petro auctoritate apostolica provideri mandatum fuerat, et de quibus postmodum vacantibus sibi, vigore mandati huiusmodi, provisum extiterat, et quos idem Lucas indebite occupaverat, mota et in Palatio

apostolica coram certo Auditore causarum dicti Palatii, ex commissione apostolica, diutius ventilata, unam diffinitivam, per quam inter cetera dicti canonicatus et prebenda Petro adjudicati et super eis Luce prefato perpetuum silentium impositum fuerat, sententiam reportavit, et super executione dicte sententie, que nulla provocatione suspensa, in rem transivit iudicatam, apostolicas ad vos sub certa forma literas impetravit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, lite huiusmodi sic indecisa pendente, idem Lucas decesserit et dilectus filius Thomas Ladislai de Vetes, clericus Transilvane diocesis, se in eisdem canonicatu et prebenda intruserit, illosque similiter detineat indebite occupatos, fructus percipiendo ex eis, prefatusque Petrus dubitet, ne etiam aliqui alii in eisdem canonicatu et prebenda hactenus se intruserint vel imposterum se intrudant, pro parte dicti Petri fuit nobis humiliter supplicatum, ut providere sibi super hoc de oportuno remedio dignaremur. Nos enim huiusmodi supplicationibus inclinati, Discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios, in huiusmodi executionis negotio tam contra eundem Thomam, quam contra quoscumque alios iam forsan in canonicatu et prebenda predictis intrusos vel imposterum intrudendos, quoad possessionem dictorum canonicatus et prebende ipsi Petro dumtaxat tradendam perinde procedatis, ac si sententia ipsa contra eos lata fuisset. Contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendas Martii Anno Tertio.

CCXIV.

1392. 1. Martii.

Demetrio Nicolai, Rectori altaris s. Johannis B. in ecclesia Jauriensi, canonicatum in eadem ecclesia confert.

(Anni III. Liber XXX. f. 35.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Sancti Salvatoris de Papuch, Jauriensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Demetrium Nicolai, Rectorem altaris sancti Johannis Baptiste siti in ecclesia Jauriensi, qui presbyter est, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus,

si . . . eundem Demetrium ad hoc ydoneum esse reppereris, . . . eidem Demetrio de canonicatu ecclesie Jauriensis, . . . provideas. Non obstantibus, . . . quod idem Demetrius, ut asserit, altare predictum noscitur obtinere. Volumus autem quod idem Demetrius, quamprimum vigore presentium canonicatum et prebendam huiusmodi fuerit pacifice assecutus, dictum altare, quod, ut prefertur, obtinet, et quod ex tunc vacare decernimus, omnino, prout ad id se etiam sponte obtulit, dimittere teneatur. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendas Martii Anno Tertio.

CCXV.

1392. 12. Martii.

Johannem Michaelis, Præpositum de Jászó, Capellanum Pontificium creat.

(Regest. Bullarum Volumen 314. f. 61.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Michaelis, Preposito Monasterii sancti Johannis Baptiste in Jazow, per Prepositum soliti gubernari, Premonstratensis ordinis, Strigoniensis diocesis, Capellano nostro salutem etc. Virtutibus clarus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Martii Pontificatus nostri Anno Tertio.

Ja. de Papia. Franciscus.
P. Petra.

CCXVI.

1392. 12. Martii.

Nicolao Thomae, dicto Macer, Rectori altaris s. Mariæ Magd. in ecclesia Scepusiensi, beneficium, ad collationem Præpositi Scepusiensi pertinens, confert.

(Anni III. Liber XXVIII. f. 76.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito Monasterii sancti Johannis Baptiste de Jazow, per Prepositum soliti gubernari, Strigoniensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Nicolaum Thome, dictum Macer, Rectorem altaris sancte Marie Magdalene siti in ecclesia sancti Martini de Scipus, Strigoniensis diocesis, qui presbyter est, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipli-

citer commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem eundem Nicolaum ydoneum ad curatum beneficium obtinendum esse reppereris . . . cum cura vel sine cura, et si forte ita esse non inveneris . . . dummodo . . . eandem ad obtinendum beneficium sine cura ydoneum reppereris, sine cura dumtaxat beneficium ecclesiasticum, cuius fructus, . . . si cum cura viginti quinque, si vero sine cura fuerit decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedant, ad collationem . . . Prepositi ecclesie predicte, si quod vacat ad presens, vel, vacaverit, . . . conferendum, . . . donationi auctoritate nostra reserves. Non obstantibus, . . . quod idem Nicolaus, ut asserit, altare predictum, quod sine cura est, cuiusque fructus . . . Decem florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Martii Anno Tertio.

CCXVII.

1392. 12. Martii.

Confirmationem possessionum Monasterii de Jászó procurandam Præposito Scepusiensi defert.

(Ex authentico transcripto Capituli Scepusiensis de Anno 1393. Fejér, Codex Diplomaticus. Tom. X. Vol. II. p. 68.)

Bonifacius . . . Dilecto filio Preposito de Scepus, Strigoniensis diocesis, salutem . . . Sacre religionis, sub qua dilecti filii Prepositus et Conventus Monasterii sancti Joannis Baptiste de Jassow, per Prepositum soliti gubernari, Premonstratensis ordinis, Strigoniensis diocesis, devotum et sedulum exhibent Altissimo famulatum, promeretur honestas, ut votis eorum . . . annuamus. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dictorum Prepositi et Conventus petitio continebat, quod olim clare memorie Bela Rex Hungarie et quondam Colomannus, Dux Sclavonie, eius frater, cupientes terrena in coelestia et transitoria in aeterna felici commercio commutare, de bonis eis a Deo collatis, prefatum Monasterium fundaverunt, ac in bonis, terris, possessionibus, coloniis, villis, decimis, silvis et aliis redditibus et proventibus sufficienter dotarunt. Quare pro parte dictorum Prepositi et Conventus nobis fuit humiliter supplicatum, ut fundationi et dotationi huiusmodi robur apostolice confirmationis adiicere . . . dignaremur. Nos igitur . . . Discretioni tue . . . mandamus, quatenus

si est ita, fundationem, dotationem predictas authoritate nostra confirmare procures. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Martii Pontificatus nostri Anno Tertio.

CCXVIII.

1392. 26. Martii.

Valentino Benedicti de Posega, clerico Quinqueecclesiensi, canonicatum in ecclesia collegiata Waradiensi confert.

(Anni III. Liber XXX. f. 106 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancti Johannis de villa Sancti Johannis, Waradiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Valentinum Benedicti de Posega, clericum Quinqueecclesiensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis ac virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus si eundem Valentinum ad hoc ydoneum esse reppereris, . . . ei de canonicatu Collegiate ecclesie beate Marie Virginis in Castro Waradiensi provideas. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Aprilis Anno Tertio.

CCXIX.

1392. 25. Aprilis.

Johanni Nicolai de Strigonio canonicatum et archidiaconatum in ecclesia Strigoniensi confert.

(Anni III. Liber XXX. f. 283 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Monopolitano, et dilectis filiis Preposito sancti Stephani prothomartiris in Castro Strigoniensi, ac Cantori Strigoniensis ecclesiarum salutem etc. Vite ac morum honestas . . . super quibus apud nos dilectus filius Johannes Nicolai de Strigonio, canonicus Transilvanus, Bacallarius in artibus, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Strigoniensis nec non archidiaconatus Gwmuriensis, in eadem ecclesia, quos quondam Thomas dictus procurator, ipsius ecclesie canonicus ac ultimus Archidia-

conus Gwmuriensis, in eadem ecclesia, dum viveret, obtinebat, per ipsius Thome obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacare noscantur ad presens, Nos volentes dicto Johanni, premissorum meritorum suorum intuitu, gratiam facere specialem, Discretioni vestre, . . . quatenus . . . canonicatum et prebendam ac archidiaconatum predictos, quorum omnium fructus . . . quadraginta sex marcharum argenti . . . valorem annuum . . . non excedunt, si, ut premittitur, vacant, etiam si dictus archidiaconatus curatus vel dignitas, non tamen maior post pontificalem in eadem ecclesia, vel personatus existat, . . . eidem Johanni . . . conferre et assignare curetis. Non obstantibus, . . . quod dictus Johannes canonicatum et prebendam ac altare sancti Johannis Baptiste, quod sine cura est, in Transilvana ecclesia situm, quorum omnium fructus . . . septuaginta florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, noscitur obtinere, et quod dudum eidem Johanni de dignitate, personatu, vel officio, cum cura vel sine cura, dicte Transilvane per quasdam providimus, et deinde de canonicatu sub expectatione prebende Waradiensis ecclesiarum vacante vel vacantibus aut vacatura vel vacaturis, per alias nostras literas gratiose mandavimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum idem Johannes predicti archidiaconatus possessionem fuerit pacifice assecutus, predicte litere, per quas sibi de dignitate, vel personatu, aut officio huiusmodi providimus, ut prefertur, et processus habiti per easdem ac omnia inde secuta, quoad dignitatem et personatum ac officium cum cura dumtaxat, sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoseptimo Kalendas Maii Anno Tertio.

CCXX.

1392. 8. Maii.

Johanni Lubani, clerico Zagrabiensi, parochialem ecclesiam sancti Martini de Sempte, Strigoniensis diœcesis, confert.

(Anni III. Liber XXXI. f. 167.)

Bonifacius etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Ypoliti de Zoborio et Preposito ac Custodi ecclesie sancti Martini in Posonio, Strigoniensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . super quibus dilectus filius Johannes Lubani, clericus Zagrabiensis diocesis, fidedigno commendatur

testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem felicis recordationis Urbano pape VI. predecessori nostro pro parte dicti Johannis exposito, quod, cum olim bone memorie Demetrius tituli Sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter Cardinalis, qui tunc ecclesiam Strigoniensem ab eodem predecessore obtinebat in commendam, quondam Nicolaum Johannis, Rectorem parochialis ecclesie sancti Martini in Sempte, Strigoniensis diocesis, non monitum, non citatum, nec de aliquo crimine convictum vel confessum, seu etiam diffamatum, dicta parochiali ecclesia, quam tunc temporis obtinebat, per suam, ut dicebat, diffinitivam sententiam, auctoritate ordinaria, extra Romanam Curiam, privasset, numquam ipsam parochialem ecclesiam nec de iure, nec de facto vacantem, utpote quam dictus Nicolaus canonice obtinebat, Valentino de Zagrabia, qui se gerit pro clerico dicte Zagrabiensis diocesis, eadem auctoritate, contulisset, et de illa etiam providisset, quamvis de facto, ipseque Valentinus pretextu collationis et provisionis huiusmodi prefatum Nicolaum dicta parochiali ecclesia et eius possessione contra iustitiam spoliasset, seque in ea intrusisset illamque occupasset et detinuisset ac detineret indebite occupatam, predictus Nicolaus propterea ad Sedem Apostolicam appellarat et sua appellatione sua huiusmodi *(sic)* apostolicas ad dilectum filium Abbatem Monasterii sancte Marie Scotorum in Wienna, Pataviensis diocesis, sub certa forma litteras impetrarat et eundem Valentinum super hoc, petendo ipsum a dicta parochiali ecclesia amoveri, seque ad illam restitui, fecerat in causa huiusmodi coram eodem Abbate, huiusmodi litterarum vigore, ad iudicium evocari, idemque Abbas, cognitis huiusmodi cause meritis et iuris ordine observato diffinitivam, per quam Valentinum a dicta parochiali ecclesia amovit et Nicolaum prefatum ad illam et eius possessionem restituit, sententiam promulgavit, dictus predecessor, cum, sicut acceperat, predicta parochialis ecclesia per ipsius Nicolai obitum, qui antequam huiusmodi sententia dicti Abbatis, que nulla provocatione suspensa in rem transierat iudicatam, executioni debite mandaretur, extra dictam Curiam, ut credebatur, decesserat, vacavisset et vacaret tunc de huiusmodi parochiali ecclesia, sive ut premittitur, sive alias quovismodo vacaret, et si tanto tempore vacavisset, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii ad Sedem predictam legitime devoluta vel etiam ipsa ecclesia dispositioni apostolice specialiter reservata foret, dummodo tunc non esset in ea alicui specialiter ius quesitum, eidem Johanni gratiose provideri concessit, ipsumque ad prosecutionem eiusdem sententie dicti Abbatis admitti, prout in nostris inde confectis litteris, cum dictus

predecessor, antequam littere apostolice super premissis confecte forent, nature debitum persolvisset, plenius continetur. Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Johannis petitio continebat, de parochiali ecclesia predicta, huiusmodi litterarum nostrarum pretextu, sibi fuit provisum, sed postea prefatus Nicolaus, qui diu in remotis egerat, et propterea mortuus, ut premittitur, credebatur, et eundem Valentinum pro eo, quod sibi possessionem dicte parochialis ecclesie monitus non dimiserat, excommunicari et excommunicatum fecerat publice nuntiari, ad partes illas redivit, et postquam in eis aliquamdiu steterat, extra dictam Curiam debitum nature persolvit. Cum autem secundum premissa predicta nostre littere viribus non subsistant, ipsaque parochialis ecclesia vacaverit et vacet ad presens, Nos volentes prefato Johanni, premissorum meritorum suorum intuitu, gratiam facere specialem, Discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, si vocatis predicto Valentino, qui adhuc ipsam parochialem ecclesiam occupat, et aliis qui fuerint evocandi, predictam parochialem ecclesiam per huiusmodi ipsius Nicolai obitum vel alias quovismodo vacare reppereritis, eandem parochialem ecclesiam, cuius fructus, redditus et proventus quindecim marcharum argenti secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Johannes asserit, non excedunt, dummodo tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis, ipsumque ad prosecutionem dicte sententie eiusdem Abbatis faciatis admitti. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Octavo Idus Maii Anno Tertio.

CCXXI.

1392. 22. Maii.

Fidelibus ecclesiam Monasterii S. Ladislai in Silisio, Quinqueecclesiensis dioecesis, visitantibus indulgentias concedit.

(Anni III. Liber XXXI. f. 200.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus presentes litteras inspecturis salutem etc. Cupientes igitur ut ecclesia Monasterii sancti Ladislai in Zilizio, ordinis sancti Benedicti, Quinqueecclesiensis diocesis, congruis honoribus frequentetur, ... et ut Christi fideles eo libentius ... ad conservationem

manus promptius porrigant adiutrices, . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Ephiphanie, Resurrectionis, Ascensionis, Corporis Domini nostri Ihesu Christi, Penthecostes, nec non in Nativitatis, Purificationis et Annunciationis et Assumptionis beate Marie Virginis ac Nativitatis beati Johannis Baptiste, Apostolorum Petri et Pauli et ipsius ecclesie Dedicationis festivitatibus ac celebritate Omnium Sanctorum, necnon per ipsarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis Ascensionis et Corporis Domini, necnon Nativitatis et Assumptionis beate Marie ac Nativitatis beati Johannis et Apostolorum Petri et Pauli predictorum festivitatum octavas et per sex dies dictum festum Penthecostes immediate sequentes prefatam ecclesiam devote visitaverint annuatim et ad conservationem huiusmodi manus adiutrices porrexerint, ut prefertur, duos annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum predictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam visitaverint, et manus inibi, ut prefertur, adiutrices porrexerint, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus, presentibus post decennium minime valituris. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Undecimo Kalendas Junii Anno Tertio.

CCXXII.

1392. 17. Maii.

Laurentio Benedicti de Posega beneficium in diœcesi Waradiensi confert.

(Anni III. Liber XXVIII. f. 56.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Laurentio Benedicti de Posega, Quinqueecclesiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, cuius fructus, . . . si cum cura vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedant, ad collationem . . . Episcopi . . . et Capituli Waradiensis pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non existat, si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit . . . conferendum tibi . . . donationi apostolice reservamus. Non obstantibus, . . . quod super canonicatu et prebenda ecclesie Waradiensis in Palatio apostolico nosceris litigare. Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimosexto Kalendas Junii Pontificatus nostri Anno Tertio.

Simili modo. Venerabili fratri Patriarche Gradensi et dilectis filiis Preposito sancte Marie Virginis in Castro Waradiensi ac Lectori Waradiensis ecclesiarum . . . Datum ut supra.

CCXXIII.

1392. 21. Junii.

Nicolao Laurentii de Gundisch beneficium in diœcesi Agriensi confert.

(Anni III. Liber XXVI. f. 158.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao, quondam Laurentii de Gundisch laici nato, clerico Agriensis diocesis, salutem etc. . . . Tibi . . . beneficium ecclesiasticum, sine cura, cuius fructus . . . decem et octo marcharum argenti . . . annuum valorem non excedunt, ad collationem . . . Episcopi et . . . Capituli Agriensis . . . pertinens, . . . dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non existat, si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, . . . conferendum tibi . . . apostolice donationi reservamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Undecimo Kalendas Julii Anno Tertio.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii de Schar, Agriensis diocesis, ac Cantori ecclesie Agriensis . . . Datum ut supra.

CCXXIV.

1392. 3. Julii.

Paulum, monachum O. Cisterciensis, Abbatem Monasterii O. Cist. de Sancto Gotthardo, Diœcesis Jauriensis, constituit.

(Anni III. Liber XXVI. f. 219.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Paulo, Abbati monasterii sancte Marie de Sancto Gothardo, Cisterciensis ordinis, Jauriensis diocesis, salutem etc. Summi dispositione Rectoris ad regimen universalis ecclesie deputati, curis assiduis agimur et assidua meditatione pulsamur, ut opem et operam, quantum nobis ex alto conceditur, impedamus, quod orbis ecclesie et monasteria universa pastorum regiminibus destituta per nostre provi-

dentie ministerium viris ydoneis committantur, qui sciant, velint et valeant ecclesias et monasteria ipsa eis commissa studiose regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem dilecto filio Stephano monacho, olim Abbate Monasterii sancte Marie de Sancto Gothardo, Cisterciensis ordinis, Jauriensis diocesis, regimini eiusdem monasterii presidente, Nos, cupientes eidem monasterio, cum vacaret, per Apostolice Sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam provisionem ipsius Monasterii ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam . . . Postmodum vero predicto monasterio ex eo, quod dictus Stephanus regimini eiusdem Monasterii, cui tunc preerat, ex certis rationabilibus causis in manibus dilecti filii Johannis Abbatis de Pelisio, dicti ordinis, Strigoniensis diocesis, Patris Abbatis dicti sancte Marie Monasterii, cum ad Abbatem eiusdem Monasterii de Pelisio, qui est pro tempore, tam ex institutis dicti ordinis per Sedem Apostolicam ex certa scientia approbatis, quam etiam de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine receptio et admissio cessionis regiminis dicti Monasterii sancte Marie pertineant, extra Romanam Curiam libere et sponte cessit, idemque Johannes Abbas huiusmodi cessionem extra dictam Curiam admisit, vacante, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Monasterii sancte Marie, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, . . . post deliberationem, quam super hiis cum fratribus nostris habuimus, diligentem demum ad te monachum dicti monasterii sancte Marie, ordinem ipsum expresse professum et in diaconatus ordine constitutum, cuius de religionis zelo, litterarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione et aliis multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, et pro quo etiam dilecti filii Conventus eiusdem Monasterii sancte Marie, per eorum patentes litteras, nobis super hoc humiliter supplicarunt, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus attenta meditatione pensatis de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Monasterio sancte Marie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem, curam et administrationem ipsius monasterii tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dirigente Domino actus tuos prefatum Monasterium sancte Marie per tue circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur utiliter et prospere dirigetur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem, quod in eodem monasterio sancte Marie

solitus monachorum et ministrorum numerus nullatenus minuatur. Quocirca Discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus impositum tibi a Domino onus regiminis eiusdem monasterii sancte Marie suscipiens reverenter, sic te in eius cura salubriter exercenda diligentem exhibeas et etiam studiosum, quod dictum Monasterium sancte Marie gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se esse commissum, Tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Nonas Julii Anno Tertio.

Simili modo. Dilectis filiis Conventui monasterii sancte Marie de Sancto Gothardo, Cisterciensis ordinis, Jauriensis diocesis . . . Datum ut supra.

Simili modo. Dilecto filio Johanni Abbati de Pelisio Cisterciensis ordinis, Strigoniensis diocesis . . . Datum ut supra.

CCXXV.

1392. 7. Julii.

Joanni Usk Notario Regio canonicatum in ecclesia Transsilvana confert.

(Anni III. Liber XVII. f. 37.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Officiali Strigoniensi salutem etc. . . . Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Transilvane, quos quondam Michael de Castroferreo ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Michaelis obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens; Nos volentes dilectum filium Johannem de Vsk, clericum Pragensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, necnon consideratione carissimi in Christo filii nostri Sigismundi regis Ungarie illustris, pro ipso Johanne dilecto notario et familiari suo nobis super hoc humiliter supplicantis, favore prosequi gratioso, Discretioni Tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem eundem Johannem ad hoc ydoneum esse inveneris . . . predictos canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . octuaginta florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, sive, ut prefertur, sive alias quovismodo vacent, etiam si dictus Michael Sedis predicte Capel-

lanus vel Succollector fructuum et proventuum camere apostolice debitorum fuerit, dummodo tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, . . . eidem Johanni . . . conferre et assignare procures. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonas Julii Anno Tertio.

CCXXVI.

1392. 14. Julii.

Nicolaum Andreæ dictum Polonum, Rectorem parochialis ecclesiæ de Bicse, Nitriensis diœcesis, beneficio privari iubet, et beneficium Nicolao Martini, presbytero eiusdem diœcesis confert.

(Anni III. Liber XXXI. f. 157 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. Apostolice Sedis circumspecta benignitas libenter afflictis personis compatitur, transgressorum insolentias refrenare iustitie tramite satagit, illosque favore prosequitur gratioso, quos vite ac morum honestas aliaque probitatis et virtutum merita laudabiliter recommendant. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Nicolai Martini, presbyteri Nitriensis diocesis, petitio continebat, quod olim Thomelinus dictus Eghener Castellanus, Symon Pauli Judex ac Scabini et Officiales seculares curie opidi in Bicza, dicte diocesis, cum quibusdam suis complicibus in hac parte procurante et presente Nicolao Andree, alias dicto Polono, Rectore parochialis ecclesie Omnium Sanctorum in Bicza, predicte diocesis, anno proxime elapso, mense Julii certa die predictum Nicolaum Martini in foro publico eiusdem opidi tunc constitutum non absque iniectione manuum in eum, Dei timore postposito, temere violenta, ausu sacrilego, ceperunt, et quibusdam equo ac pallio, nec non aliis bonis mobilibus, que idem Nicolaus Martini penes se tunc habebat, valoris vigintiquinque florenorum auri, nequiter spoliarunt, ac percusserunt, nec non in quibusdam carceribus ipsorum officialium intruserunt. Et deinde ipsum ex eisdem carceribus trahentes ad domum habitationis predicti Castellani in eodem opido consistentem compedibus ferreis ligatum adduxerunt, et in quadam stupa infra dictam domum, in loco satis inhonesto et fetido compeditum, ut prefertur, plures dies se fame et siti afflictum detinuerunt captum, et successive predictus Castellanus et Petrus fistulatoris de Huczow *(sic)*, qui se gerit pro clerico dicte diocesis, eundem Nicolaum Martini ex eadem stupa extrahentes, ipsum adhuc compedibus vinculatum ad domum dotis *(sic)* ecclesie predicte adduxerunt et eidem Nicolao

Andree assignarunt ipseque Nicolaus Andree dictum Nicolaum Martini vinculatum, ut prefertur, in quadam camera eiusdem domus dotis posuit, et in illa ipsum per duos dies et ultra, absque cibo et potu detinuit captivatum, et in maiorem contumeliam ipsius Nicolai Martini super solario predicte camere, in qua ipse Nicolaus Andree predictum Nicolaum Martini detinebat, ut prefertur, sepius tripudiando impetuose saltavit seu corizavit, et ei multas alias iniurias et vituperia intulit, ac dictum Nicolaum Martini relaxare a captivitate huiusmodi noluit, quousque idem Nicolaus Martini, mediantibus quibusdam probis viris suis amicis, eidem Nicolao Andree de facto promisit, quod ipse numquam apud Sedem Apostolicam, seu coram venerabili fratre nostro Episcopo Nitriensi de premissis violentiis et iniuriis sibi illatis, ut prefertur querimoniam deponeret, sub penis decem marcharum argenti puri, applicandarum eidem Castellano et etiam deamputationis capitis seu ultimi supplicii, quas idem Nicolaus Martini incurreret ipso facto, in casu, quo ipse contra promissionem venerit eandem, confectis etiam exinde quibusdam litteris seu scripturis, communitatis dicti opidi sigillo munitis, iuramentis prestitis et aliis cautionibus datis. Quare dictus Nicolaus Martini nobis humiliter supplicavit, ut causas tam criminales, quam civiles quas ipse contra eosdem Nicolaum Andree, Petrum et Castellanum, Judicem, Scabinos, Officiales ac complices, super premissis iniuriis, et eorum occasione communiter vel divisim movere proposuit, alicui presbytero in partibus illis committere et ipsos Nicolaum Andree, Petrum, Castellanum, Judicem, Scabinos, Officiales et complices propter huiusmodi eorum excessus puniri mandare et alias in premissis salubriter providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod, si dictus Nicolaus Andree predictas iniurias predicto Nicolao Martini inferri procuraverit aut eum in eadem camera captivum detinuerit, ut prefertur, dicta parochiali ecclesia reddidit se indignum, et ne premissa mala impunita transeant, providere, ac in eventum, quo ipsum Nicolaum Andree predicta ecclesia modo et forma infrascriptis per te privari contingat, predicto Nicolao Martini, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendato, specialem gratiam facere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati Fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem fiduciam obtinemus, per apostolica scripta mandamus, quatenus vocatis dictis Nicolao Andree et Petro, nec non Castellano, Judice, Scabinis, Officialibus ac complicibus et aliis, qui fuerint evocandi, si de percussionibus et captionibus predictis tibi constiterit, eosdem Nicolaum Andree, Petrum, Castellanum, Judicem, Scabinos, Officiales et complices

tamdiu, appellatione remota, excommunicatos publice nunties et facias ab omnibus arctius evitari, donec passo iniuriam satisfecerint competenter, et cum tuarum testimonio litterarum ad Sedem venerint Apostolicam absolvendi, super aliis vero per te prius dictis iuramentis relaxatis necnon scripturis renuntiationibus et cautelis huiusmodi ad cautelam prout iustum fuerit, nullis declaratis aut eis non obstantibus auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, similiter appellatione cessante, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Et si constiterit tibi dictum Nicolaum Andree predictas iniurias predicto Nicolao Martini inferri procurasse, seu ipsum captivum in eadem camera detinuisse, ut prefertur, ipsum Nicolaum Andree predicta ecclesia, auctoritate nostra, sententialiter prives, ipsumque amoveas realiter ab eadem, prout de iure fuerit faciendum, et alias ipsum necnon Petrum et Castellanum, Judicem, Scabinos, officiales et complices predictos punias iuxta canonicas sanctiones. Et nihilominus, si per te dictum Nicolaum Andree predicta ecclesia privari et ab ea amoveri contigerit, ut prefertur, eandem ecclesiam, cuius fructus redditus et proventus quadraginta florenorum auri secundum communem extimationem valorem annuum, ut ipse Nicolaus Martini asserit, non excedunt, cum eam per huiusmodi privationem vacare contigerit, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis predicto Nicolao Martini, auctoritate predicta, conferas et assignes. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Julii Anno Tertio.

CCXXVII.

1392. 18. Julii.

Conventus Monialium Ordinis Prædicatorum a solutione decimarum et cunctarum contributionum eximit.

(Transumptum authenticum in Tabulario Regnicolari Hungariæ)

Bonifacius . . . Dilectis in Christo filiabus Priorissis et Conventibus sororum inclusarum monasteriorum, ordinis sancti Augustini, secundum instituta et sub cura fratrum ordinis Predicatorum viventium, salutem . . . Pium et congruum reputantes, ut vos illa prosequamur gratia, quam vestris necessitatibus fore prospicimus opportunam, vobis et singulis auctoritate presentium indulgemus, ut ad prestationem decimarum de quibuscumque possessionibus et aliis omnibus bonis vestris . . . vel ad contribuendum in

procurationibus quorumlibet Ordinariorum et etiam Legatorum et Nuntiorum Sedis Apostolice et quibuslibet aliis et collectis ac ad exhibendum in pedagio, teloneo et aliis exactionibus quibusvis Regibus, Principibus, seu aliis personis secularibus minime teneamini, nec ad id compelli aliquatenus valeatis. . . . Datum apud Urbem Veterem Quintodecimo Kalendas Augusti Pontificatus nostri Anno Tertio.

CCXXVIII.

1392. 1. Augusti.

Thomæ Ottonis, Rectori altaris ss. Georgii et Adalberti in ecclesia Posoniensi, canonicatum in eadem ecclesia confert.

(Anni III. Liber XXX. f. 34.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Jauriensis salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Thomam Ottonis, Rectorem altaris sanctorum Georgii et Adalberti siti in ecclesia Posoniensi, Strigoniensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate . . . multipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si . . . dictum Thomam ad hoc ydoneum esse reppereris, . . . ei de canonicatu dicte ecclesie . . . provideas. Non obstantibus, . . . quod dictus Thomas, ut asseritur, altare predictum, quod sine cura est, noscitur obtinere . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendas Augusti Anno Tertio.

CCXXIX.

1392. 31. Octobris.

Nicolao Helman beneficium ecclesiasticum in diœcesi Transsilvana confert.

(Anni III. Liber XVII. f. 5.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao Helman, clerico Transilvane diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, qui in Palatio nostro servitor existis, . . . gratiam facere specialem, unum, vel duo, seu tria beneficium, seu beneficia ecclesiasticum, seu ecclesiastica, etiam si ipsum unum,

vel ipsorum duorum, aut trium aliquod cum cura fuerit, cuius, seu quorum, si ipsum unum, vel ipsorum duorum, aut trium aliquod cum cura vigintiquinque, si vero sine cura fuerit seu fuerint, decem et octo marcharum argenti fructus . . . valorem annuum non excedant, ad collationem . . . Episcopi Transilvani et . . . canonicorum et personarum ecclesie Transilvane . . . pertinens seu pertinentia, dummodo aliquod ipsorum canonicatus et prebende ecclesie Cathedralis non existat, si quod, vel si qua vacat, seu vacant ad presens, vel cum vacaverit seu similiter vel successive vacaverint, quod vel que tu . . . infra unius mensis spatium duxeris acceptandum vel acceptanda, conferendum seu conferenda tibi . . . donationi apostolice reservamus. Non obstantibus, . . . quod nuper tibi, ut asseris, de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie predicte ac hodie de beneficio ecclesiastico sine cura ad collationem, provisionem, presentationem seu quamvis aliam dispositionem dilecti filii Rectoris parochialis ecclesie in Weychendorff, Pataviensis diocesis, vacante vel vacaturo gratiose concessimus provideri. . . . Datum Perusii Secundo Kalendas Novembris Pontificatus nostri Anno Tertio.

Simili modo: Venerabili fratri . . . episcopo Monopolitano et dilectis filiis . . . Abbati Monasterii beate Marie in Chercz, Strigoniensis diocesis, ac . . . Preposito ecclesie Sibinicensis. . . . Datum ut supra.

ANNUS QUARTUS.

1392. 9. NOVEMBRIS—1393. 8. NOVEMBRIS.

CCXXX.

1392. 28. Novembris.

Stephano Galli canonicatum in ecclesia Nitriensi confert.

(Anni IV. Liber II. f. 269.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Galli, canonico Nitriensi, salutem etc.... Canonicatum ecclesie Nitriensis tibi apostolica auctoritate conferimus. Prebendam vero, nec non dignitatem, vel personatum, seu officium, cum cura vel sine cura, dummodo dignitas huiusmodi in ipsa ecclesia maior post pontificalem non existat, si in dicta ecclesia vacant, vel cum vacaverint, quas vel quos... duxeris acceptandas, vel acceptandos, conferendas, vel conferendos tibi post acceptationem huiusmodi, donationi apostolice reservamus. Non obstantibus... quod nuper de canonicatu, sub expectatione prebende ac dignitatis, vel personatus, seu officii, cum cura vel sine cura, ecclesie de Veteribuda, Vesprimiensis diocesis, per alias nostras litteras gratiose mandavimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum dignitatem, vel personatum, seu officium curatum ecclesie Nitriensis fueris assecutus, predicte alie nostre litere et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta, quoad dignitatem, vel personatum, seu officium curatum dumtaxat, sint cassa et irrita.... Datum Perusii Quarto Kalendas Decembris Anno Quarto.

CCXXXI.

1392. 8. Decembris.

Stephano Emerici de Upor canonicatum in ecclesia Strigoniensi confert.

(Anni IV. Liber II. f. 269.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Einrici de Upor, canonico Strigoniensi, Magistro in artibus, salutem etc.... Volentes itaque tibi, qui presbyter es et in iure canonico studens, gratiam facere specialem, canoni-

catum ecclesie Strigoniensis conferimus. Prebendam vero ipsius, nec non dignitatem, vel personatum, seu officium in eadem vel altera ex beate Marie Alberegalis, seu S. Martini in Scepus, Vesprimiensis et Strigoniensis diocesum, Collegiatis ecclesiis, si vacant, vel cum vacaverint, que . . . duxeris acceptandas, vel acceptandos, conferendas, vel conferendos tibi, post acceptationem huiusmodi, donationi apostolice reservamus. . . . Non obstantibus, . . . quod, ut asseris, canonicatum et prebendam, nec non cantoriam Waradiensis, que dignitas est, obtines, et nos tibi nuper de canonicatu, sub expectatione prebende, et dignitatis, personatus, vel officii, cum cura vel sine cura, Agriensis ecclesiarum concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum dignitatem vel personatum huiusmodi fueris assecutus, dictam cantoriam . . . dimittere tenearis. Datum Perusii Sexto Idus Decembris Anno Quarto.

Simili modo. Archiepiscopo Colocensi et Waciensi ac Monopolitano Episcopis. . . . Datum ut supra.

CCXXXII.

1392. 10. Decembris.

Ladislao de Nagypatak, presbytero Strigoniensi, canonicatum in ecclesia Bosnensi confert.

(Anni IV. Liber —. f. 53)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Quinqueecclesiensis salutem etc. . . . Dudum siquidem . . . Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie Bosnensis, quam quondam Jacobus Johannis ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Jacobi obitum, qui Referendarius noster existens extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverat . . . Nos volentes dilectum filium Ladislaum de Nagpatac, presbiterum Strigoniensis diocesis, . . . favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem eundem Ladislaum dignum reppereris, . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quadraginta florenorum auri . . . annuum valorem . . . non excedunt, . . . conferas . . . eidem. Datum Perusii Quarto Idus Decembris Anno Quarto.

CCXXXIII.

1392. 10. Decembris.

Stephano Emerici de Upor præposituram ecclesiæ Tituliensis confert.

(Anni IV. Liber II. f. 1.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Enrici de Upor, canonico Waradiensi, Magistro in artibus, salutem etc. Litterarum scientia, vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque dilectus filius Michael dictus Saffar, Prepositus ecclesie Titulensis, Colocensis, diocesis, preposituram ecclesie predicte, quam obtinet, sponte et libere resignare proponat . . . Nos, volentes tibi, qui presbyter et in iure canonico scolaris existis, gratiam facere specialem, preposituram predictam, cuius fructus . . . trecentarum marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, cum illam per resignationem, seu per promotionem ipsius Michaelis ad aliquam Cathedralem ecclesiam vacantem, auctoritate apostolica faciendam et munus consecrationis impendendum eidem, . . . aut alias quovis modo, preterquam per ipsius Michaelis obitum, vacare contigerit, etiamsi dicta prepositura dignitas principalis existat, eique cura animarum immineat, tibi conferendam donationi apostolice reservamus . . . Non obstantibus, . . . quod, ut asseris, canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . decem marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, nec non cantoriam Waradiensis, que dignitas est, obtines, et nos tibi nuper de canonicatu, sub expectatione prebende et dignitatis, personatus, vel officii, cum cura vel sine cura, Agriensis, et etiam de canonicatu sub expectatione prebende Strigoniensis ac dignitatis, personatus, vel officii etiam, cum cura vel sine cura, eiusdem Strigoniensis ac beate Marie Alberegalis et sancti Martini in Cepus, Vesprimiensis et Strigoniensis diocesum, nec non de prepositura Omnium Sanctorum, dicte Vesprimiensis diocesis, ecclesiarum, tunc certo modo vacantium, gratiose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presentium huiusmodi preposituree ecclesie Titulensis possessionem fueris assecutus, predictam cantoriam omnino dimittere tenearis, quodque huiusmodi concessionis gratie, quoad eandem preposituram ecclesie Omnium Sanctorum, nec non ad dignitates, vel personatus, seu officia huiusmodi dumtaxat, et quecunque inde secuta

sint cassa es irrita nulliusque roboris vel momenti. . . . Datum Perusii Quarto Idus Decembris Anno Quarto.

Simili modo. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Strigoniensi et Vesprimiensi ac Monopolitano Episcopis . . . Datum ut supra.

CCXXXIV.

1393. 1. Januarii.

Dominico Urbani, Quinqueecclesiensi, et Petro Marci, sancti Petri de Pozsega canonico, facultatem concedit, ut beneficia invicem permutare possint.

(Anni IV. Liber —. f. 114 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Francisco Episcopo Prenestino, sancte Romane ecclesie Vicecancellario, salutem etc. . . . Cum itaque dilecti filii Dominicus Urbani Quinqueeclesiensis magistratum ad altare sancti Georgii martiris situm in eadem ecclesia et Petrus Marci sancti Petri de Posega, Quinqueecclesiensis diocesis, ecclesiarum canonicatus et prebendas, quos obtinent, desiderent . . . ex certis rationabilibus causis invicem permutare, . . . Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus ab eisdem . . . resignationes . . . recipias . . . Non obstantibus, . . . quod Dominicus archidiaconatum Neogradensem ac canonicatum et prebendam in ecclesia Strigoniensi, quorum omnium centum et quinquaginta, et Petrus parochialem ecclesiam sanctorum Cosme et Damiani martirum, dicte diocesis, cuius vigintiquinque florenorum auri fructus . . . valorem annuum non excedunt, noscuntur obtinere. . . . Datum Perusii Kalendas Januarii Anno Quarto.

CCXXXV.

1393. 16. Januarii.

Andreæ Johannis de Bogath, canonico Budensi, præposituram Waradiensis ecclesiæ confert.

(Anni IV. Liber II. f. 15.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Barensi et dilectis filiis sancti Johannis Baptiste prope flumen Kyris et sancti Stephani de Zenthyog, Waradiensis diocesis, Monasteriorum Abbatibus salutem etc. Nobilitas gene-

ris, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Andreas Johannis de Bogath, canonicus et Cantor ecclesie Budensis, Vesprimiensis diocesis, . . . commendatur, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque prepositura ecclesie Waradiensis, quam quondam Philippus de Bachim (sic), dum viveret, obtinebat, per ipsius obitum, extra Romanam Curiam, vacaverit et vacare noscatur, Nos volentes dicto Andree, qui, ut asserit, ex utroque parente de nobili genere procreatus existit, gratiam facere specialem, Discretioni vestre mandamus, quatenus dictam preposituram, cuius fructus . . . octuaginta marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, . . . etiamsi curata ac dignitas maior post pontificalem in dicta Waradiensi ecclesia existat, . . . dummodo tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, eidem Andree, auctoritate nostra, conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, . . . quod idem Andreas, ut asserit, canonicatum et prebendam, nec non cantoriam predicte ecclesie Budensis, que quidem cantoria dignitas est, quorum fructus . . . viginti marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem, quod idem Andreas, quamprimum, si prepositura ipsa dignitas, vel curata, aut personatus existat et sibi conferatur, preposituram eandem fuerit assecutus, cantoriam predictam omnino dimittere teneatur . . . Datum Perusii Decimoseptimo Kalendas Februarii Anno Quarto.

CCXXXVI.

1393. 24. Januarii.

Fidelibus capellam s. Dorotheæ in Jászó visitantibus indulgentiam concedit.

(Anni IV. Liber —. f. 38.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus . . . Cupientes igitur, ut in Capella sancte Dorothee de Jaczo, Strigoniensis diocesis, que reparatione non modica dicitur indigere et ad quam populi ex devotione confluit multitudo, condignis honoribus frequentetur, . . . omnibus penitentibus et confessis, qui in festo Dedicationis ipsius Capelle prefatam Capellam devote visitaverint annuatim, et ad eius reparationem manus porrexerint adiutrices, . . . duos annos et duas quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. . . . Datum Perusii Nono Kalendas Februarii Anno Quarto.

CCXXXVII.

1393. 27. Januarii.

Dominico Petri, Archidiacono Temesiensi, præposituram ecclesiæ Csanadiensis confert.

(Anni IV. Liber II. f. 3.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Cenadiensi salutem etc. . . . Cum itaque, sicut accepimus, prepositura ecclesie Cenadiensis, quam quondam Jacobus Jacobi ipsius ecclesie Prepositus obtinebat, per ipsius obitum extra Romanam Curiam vacaverit, Nos volentes dilectum filium Dominicum Petri, Archidiaconum Themesiensem, in eadem ecclesia . . . favore prosequi gratioso, ipsumque in eadem ecclesia amplius honorare, Fraternitati tue mandamus, quatenus, si prepositura ipsa curata aut dignitas in eadem ecclesia existat, et per diligentem examinationem ydoneum ad dictam preposituram obtinendam esse reppereris, etiamsi prepositura ipsa curata et dignitas maior post pontificalem in eadem ecclesia existat, . . . preposituram predictam, cuius fructus . . . quadragintaquatuor marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, . . . eidem Dominico, auctoritate nostra, conferre et assignare procures . . . Non obstantibus, . . . quod dictus Dominicus, ut asserit, canonicatum et prebendam ac altare sancte Elizabet, situm in eadem ecclesia, quod sine cura est, et quorum fructus . . . viginti marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, nec non archidiaconatum Themesiensem in eadem ecclesia noscitur obtinere, et quod dudum sibi de dignitate, personatu, vel officio, cum cura vel sine cura, vacante, vel vacaturo, in predicta ecclesia, gratiose concessimus provideri. Volumus autem, quod ipse Dominicus, quamprimum, presentium vigore, preposituram predictam fuerint pacifice assecutus, archidiaconatum predictum dimittere teneatur, quodque huiusmodi concessionis gratia et quecunque inde secuta, sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. . . . Datum Perusii Sexto Kalendas Februarii Anno Quarto.

CCXXVIII.

1393. 27. Januarii.

Petro Andreae, canonico Tituliensi, archidiaconatum Temesiensem confert.

(Anni IV. Liber II. f. 6.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Petro Andree, canonico ecclesie sancte Sapientie Titulensis, Colocensis diocesis, salutem etc. . . . Hodie siquidem dilecto filio Dominico Petri, Archidiacono Themesiensi, in ecclesia Cenadiensi de prepositura eiusdem ecclesie, certo modo vacante per nostras literas gratiose mandavimus provideri, Volentes inter cetera, quod, quamprimum ipse Dominicus dictam preposituram fuerit pacifice assecutus, archidiaconatum predictum dimittere teneretur. Cum itaque propterea archidiaconatus predictus, quamprimum idem Dominicus dictam preposituram fuerit pacifice assecutus, vacare speretur, Nos, volentes tibi gratiam facere specialem, archidiaconatum predictum, cuius fructus . . . sexdecim marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, etiamsi curatus vel dignitas, non tamen maior post pontificalem in eadem ecclesia existat, donationi apostolice reservamus, . . . Non obstantibus, . . . quod canonicatum et prebendam ecclesie sancte Sapientie Titulensis, Colocensis diocesis, nosceris obtinere, et quod nos dudum tibi de canonicatu et prebenda eiusdem ecclesie Cenadiensis, tunc certo modo vacantibus, quorum fructus . . . viginti marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, et quorum possessionem nondum es adeptus, per quasdam, et de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo ad collationem, provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem Episcopi Cenadiensis . . . et Capituli . . . ecclesie Cenadiensis . . . pertinente, per alias nostras literas gratiose mandavimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum, presentium vigore, archidiaconatum predictum fueris assecutus, si archidiaconatus ipse curatus aut dignitas sit, predicte litere, per quos de huiusmodi beneficio mandavimus provideri et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. . . . Datum Perusii Sexto Kalendas Februarii Anno Quarto.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Monopolitano et dilectis filiis Abbati Monasterii sancte Marie ac Preposito ecclesie Sancti Salvatoris Cenadiensis. . . . Datum ut supra.

CCXXXIX.

1393. 4. Februarii.

Laurentio Benedicti de Pozsega, canonico Waradiensi, dignitatem in ecclesia Waradiensi confert.

(Anni IV. Liber XXXVIII. f. 227.)

Bonifacius episcopus etc. Dilecto filio Laurentio Benedicti de Posega, canonico Waradiensi, salutem etc. . . . Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem, teque in ecclesia Waradiensi amplius honorare, dignitatem vel personatum seu officium ecclesie predicte . . . tibi . . . reservamus . . . Non obstantibus, . . . quod nos dudum tibi, ut asseritur, de canonicatu, sub expectatione prebende, ecclesie predicte . . . duximus providendum, . . . quam quidem concessionis gratiam . . . ex nunc cassamus. . . . Datum Perusii Secundo Nonas Februarii Pontificatus nostri Anno Quarto.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Preposito sancti Stephani Prothomartiris de Promontorio Waradiensi ac Lectori Waradiensis ecclesiarum . . . Datum ut supra.

CCXL.

1393. 19. Martii.

Bonifacii VIII. constitutionem, qua prohibet, ut ulla provincia vel civitas ecclesiastico interdicto pro pecuniario debito supponatur, in oppido Kolosvár publicari iubet.

(Anni IV. Liber —. f. 148.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Waradiensi et dilectis filiis Abbati Monasterii beate Marie in Closmonostra, Transilvane diocesis, ac Preposito ecclesie Transilvane salutem etc. . . . Dudum . . . Bonifacius papa VIII. . . . prohibuit, ut nulla provincia, civitas . . . auctoritate ordinaria vel delegata supponeretur ecclesiastico interdicto pro pecuniario debito . . . Cum autem . . . nonnulli iudices, tam delegati, quam alii oppidum Cluswar, Transilvane diocesis, pro pecuniario debito, quandoque etiam pro modica pecunie summa . . . frequenter supponant ecclesiastico interdictu . . . Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . predictam con-

stitutionem in ecclesiis eiusdem oppidi et aliorum locorum in dicta diocesi consistentium, de quibus vobis videbitur . . . expedire, . . . publicari et etiam observari faciatis . . . Datum Perusii Decimoquarto Kalendas Aprilis Anno Quarto.

CCXL.

1393. 17. Maii.

Georgium Nicolai canonicatu ecclesiæ de Pozsega privari iubet.

(Anni IV. Liber —. f. 253 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito Quinqueecclesiensi salutem. Ad audientiam nostram — Georgius Nicolai, canonicus ecclesie sancti Petri de Posega, Quinqueecclesiensis diocesis, diabolico — quondam Valentinum dictum Sula (?) — interfecit. Nos igitur attendentes, — existentibus supradictis, prefatus Georgius, — quos in ecclesia predicta tunc temporis obtinebat — obtinet, reddidit se indignum, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus vocatis dicto Georgio et aliis, qui fuerint evocandi, . . . inquiras diligentius veritatem, et si . . . prefatum Georgium huiusmodi homicidium commisisse reppereris, eundem Georgium dictis canonicatu et prebenda . . . prives . . . Datum Perusii Decimosexto Kalendas Junii Pontificatus Anno Quarto.

CCXLII.

1393. 12. Maii.

Jacobo Johannis clerico Quinqueecclesiensi Canonicatum in ecclesia Zagrabiensi confert.

(Anni IV. Liber II. f. 318.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Quinqueecclesiensis salutem . . . Cum canonicatus et prebenda ecclesie Zagrabiensis, quos quondam Heinricus Petri ipsius ecclesie canonicus . . . obtinebat, per ipsius Heinrici obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, vacaverint et vacare noscantur, . . . Nos, volentes dilectum filium Jacobum Johannis de Voychisli, *(sic)* clericum Quinqueecclesiensis diocesis, qui, ut asserit, de nobili genere procreatus, et in duodecimo suae aetatis anno constitutus existit, . . .

favore prosequi gratioso . . . Discretioni tue mandamus, quatenus, si . . . prefatum Jacobum ad hoc ydoneum esse reppereris, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, eidem, auctoritate nostra, conferre et assignare procures . . . Datum Perusii Quarto Idus Maii Anno Quarto.

CCXLIII.

1393. 12. Maii.

Nicolao Jacobi, parocho in Dobronok, Bosnensis diocesis, canonicatum in ecclesia Bosnensi confert.

(Anni IV. Liber II. f. 323.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tornacensi et dilectis filiis Preposito Quinqueecclesiensis ac Custodi Boznensis ecclesiarum salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia, . . . super quibus dilectus filius Nicolaus Jacobi, Rector parochialis ecclesie sancti Nicolai de Dubronetk, Boznensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem pro parte ipsius Nicolai petitio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Boznensis ex eo vacantibus, quod Venerabilis frater noster Johannes, Episcopus Boznensis, quondam Nicolaum Johannis canonicum eiusdem ecclesie, propter hoc ad sui presentiam evocatum, ipsum suis culpis et demeritis exigentibus, eisdem canonicatu et prebenda, auctoritate ordinaria, privaverit, idem Episcopus canonicatum et prebendam predictos, sic vacantes, dicto Nicolao Jacobi, eadem auctoritate, contulit, ipseque Nicolaus Jacobi eosdem canonicatum et prebendam extitit pacifice assecutus. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Nicolaus dubitet, collationem et provisionem huiusmodi viribus non subsistere et dicti canonicatus et prebenda vacare noscantur, Nos volentes predicto Nicolao Jacobi, qui, ut asserit, ex utroque parente de nobili genere procreatus existit, gratiam facere . . . Discretioni vestre mandamus, quod canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quadraginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, eidem Nicolao Jacobi, auctoritate nostra, conferre et assignare curetis. Non obstantibus, . . . quod dictus Nicolaus Jacobi parochialem ecclesiam predictam, cuius fructus . . . quadraginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere, et quod dudum eidem Nicolao

Jacobi de canonicatu, sub expectatione prebende, nec non dignitatis, personatus, vel officii, cum cura vel sine, ecclesie Agriensis per nostras literas gratiose mandavimus provideri. ... Datum Perusii Quarto Idus Maii Anno Quarto.

CCXLIV.

1393. 12. Maii.

Simoni Fabiani, clerico Zagrabiensi, canonicatum in ecclesia b. Petri de Pozsega de confert.

(Anni IV. Liber II. f. 351.)

Bonifacius etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii beate Marie Virginis Honestevallis dicte de Gothow, Quinqueecclesiensis diocesis, et Preposito Quinqueecclesiensis ac Scolastico beati Petri de Posega, eiusdem Quinqueecclesiensis diocesis, ecclesiarum salutem etc. ... Vite ac morum honestas, ... super quibus dilectus filius Symon Fabiani, clericus Zagrabiensis diocesis, ... commendatur, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque canonicatus et prebenda ecclesie beati Petri de Posega, Quinqueecclesiensis diocesis, ex eo vacaverint, quod dilectus filius Nicolaus dictus Ferkel, frater domus sancte Marie in monte Garig, ordinis heremitarum sancti Augustini, dicte Zagrabiensis diocesis, tunc clericus secularis existens, et eosdem canonicatum et prebendam obtinens, domum predictam ingressus, in ea regularem professionem emisit, licet dilectus filius Valentinus Petri Hudaynha, clericus eiusdem Quinqueecclesiensis diocesis, dictos canonicatum et prebendam detineat indebite occupatos, Nos ... Discretioni vestre ... mandamus, quatenus ... si, vocatis dicto Valentino et aliis, qui fuerint evocandi, huiusmodi canonicatum et prebendam vacare reppereritis, predictos canonicatum et prebendam, quorum fructus ... triginta florenorum auri ... valorem annuum non excedunt, ... eidem Symoni auctoritate nostra conferre et assignare curetis ... Datum Perusii Quarto Idus Maii Anno Quarto.

CCXLV.

1393. 28. Maii.

Johanni Ladislai de Korokna, canonico Vesprimiensi, dignitatem in ecclesia Vesprimiensi confert.

(Anni IV. Liber II. f. 276.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque dilectum filium Johannem Ladislai de Koronka (?), canonicum ecclesie Vesprimiensis, qui, ut asserit, de nobili genere procreatus existit, . . . favore prosequi gratioso, ipsumque in eadem ecclesia amplius honorare, Discretioni vestre mandamus, quatenus officium sine cura duntaxat, dignitatem, vel personatum dicte ecclesie, cum vacaverint, si quam, si quem, vel si quod, ipse Johannes . . . duxerit acceptandam . . . eidem, post acceptationem, conferendam, seu conferendum, donationi tue, auctoritate nostra, reserves. . . . Non obstantibus, . . . quod idem Johannes, ut asserit, in prefata canonicatum et prebendam ac in Ursiensi, Vesprimiensis diocesis, prepposituram obtinet et nos sibi nuper de canonicatu, sub expectatione prebende ac dignitatis, personatus, vel officii, cum cura vel sine, in Zagrabiensi ecclesiis gratiose concessimus provideri. Volumus autem, quod quamprimum idem Johannes dignitatem, aut personatus, vel officii cum cura predicte ecclesie Vesprimiensis possessionem fuerit assecutus, prepposituram, quam obtinet, dimittere teneatur. . . . Datum Perusii Quinto Kalendas Junii Anno Quarto.

CCXLVI.

1393. 29. Maii.

Brictio Egidii, canonico Agriensi, archidiaconatum de Ung confert.

(Anni IV. Liber II. f. 175.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Waciensi et dilectis filiis Preposito et Archidiacono de Pesth ecclesie Waciensis salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . super quibus dilectus filius Brictius Egidii, canonicus ecclesie Agriensis, commendatur, nos inducunt . . . Exhibita siquidem nobis

nuper pro parte dicti Brictii petitio continebat, quod olim ipse preposituram Sirmiensis et dilectus filius Johannes de Zederken archidiaconatum de Ungh Agriensis ecclesiarum, quos tunc temporis obtinebant, desiderantes illos ex certis rationabilibus causis invicem permutare, in manibus Venerabilis fratris nostri Stephani Episcopi Agriensis, extra Romanam Curiam, ex causa permutationis huiusmodi libere resignarunt, idemque Episcopus, habens ad hoc a bone memorie Johanne Episcopo Sirmiensi specialem potestatem, vigore potestatis huiusmodi prepositure ac archidiaconatus predictorum, auctoritate ordinaria, resignationibus huiusmodi per eum, extra eandem Curiam, admissis, Brictio archidiaconatum et Johanni prefatis preposituram predictos, dicte potestatis vigore, contulit, ipseque Brictius eundem archidiaconatum assecutus, illum ex tunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus Brictius dubitet collationem et provisionem predictas de dicto archidiaconatu ex certis causis viribus non subsistere, et dictus archidiaconatus adhuc vacare noscatur, Nos volentes eidem Brictio . . . gratiam facere specialem, ipsumque in eadem ecclesia Agriensi amplius honorare, Discretioni vestre mandamus, quatenus archidiaconatum predictum, cuius fructus . . . vigintiquinque marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, etiam si curatus et dignitas, non tamen post pontificalem maior, in dicta ecclesia Agriensi existat, eidem Brictio, auctoritate nostra, conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, . . . quod prefatus Brictius, ut asserit, canonicatum et prebendam, nec non altare sine cura beate Marie virginis, situm in eadem ecclesia, quorum fructus . . . vigintiquinque marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et nos dudum sibi de dignitate, vel personatu, seu officio, cum cura vel sine, vacante, vel vacatura, seu vacaturo, in eadem ecclesia Agriensi, per alias nostras literas, gratiose mandavimus provideri. Volumus autem, quod quamprimum prefatus Brictius archidiaconatum predictum fuerit assecutus, predicte litere, per quas sibi de dignitate, personatu, vel officio huiusmodi provideri mandavimus, et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta, quoad dignitatem vel personatum, vel officium curatum dumtaxat, sint cassa et irrita. . . . Datum Perusii Quarto Kalendas Junii Anno Quarto.

CCXLVII.

1393. 16. Junii.

Petro Nicolai, presbytero Strigoniensi, canonicatum in ecclesia Scepusiensi confert.

(Anni IV. Liber II. f. 320.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Petro Nicolai de Montesanctigeorgii, presbytero Strigoniensi, salutem etc. . . . Cum itaque dilectus filius Nicolaus Kony de Belluz, canonicus ecclesie sancti Martini in Scepus, Strigoniensis diocesis, domum Lapidis refugii in Scepus, Cartusiensis ordinis, prefate diocesis, ingressus in ea professionem regularem emittere proponat, et propterea canonicatus et prebenda eiusdem ecclesie vacare sperentur, nos . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, post emissionem professionis regularis vel lapsum anni probationis, aut si constiterit eundem Nicolaum absolute vitam mutare voluisse, vel ipse Nicolaus scienter habitum sumpserit et per triduum gestaverit, conferendos tibi donationi apostolice reservamus . . . Volumus autem, quod quamprimum huiusmodi canonicatus et prebenda reservatorum possessionem fueris assecutus predicte concessionum gratie et inde secuta sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. Datum Perusii Sextodecimo Kalendas Julii Pontificatus nostri Anno Quarto.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Segobiensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancte Marie in Schevnik et Preposito ecclesie sancti Johannis Baptiste in Jasso, Strigoniensis diocesis, . . . Datum ut supra.

CCXVIII.

1393. 10. Julii.

Hospitali pauperum sanctæ Elisabeth Quinqueecclesiensi Nicolaum Lucae laicum præfici iubet.

(Anni IV. Liber VI. f. 166. Koller III. 210.)

Bonifacius etc. . . . Venerabili fratri Episcopo Monopolitano salutem . . . Cum itaque, sicut accepimus, Hospitale pauperum sancte Elisabet Quinqueecclesiense ex eo vacaverit et vacet ad presens, quod dilectus filius

Gallus, ipsius Hospitalis rector, domum fratrum sancti Pauli primi eremite sancti Laurentii, ordinis sancti Augustini, Vesprimiensis diocesis, ingressus in ea professionem per fratres ipsius domus emitti consvetam emisit, nos volentes dicto Hospitali, per laicos gubernari consveto, secundum cor nostrum, de gubernatore utili et idoneo . . . providere, premissis, necnon probitatis et virtutum meritis, quibus personam dilecti filii Nicolai Luce, laici Quinqueecclesiensis diocesis, fide dignorum testimoniis, insigniri percepimus, diligenter attentis, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus Hospitale predictum, cuius fructus . . . ducentorum florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Nicolaus asserit, non excedunt . . . etiamsi dictus Gallus, vel persona huiusmodi . . . Antipape, qui se Clementem septimum . . . nominare presumit, adheserit . . . cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, iuxta formam constitutionis . . . Clementis Pape quinti . . . in Concilio Viennensi super hoc edite, per eum, quoad vixerit, tenendum, regendum . . . committes . . . Datum Perusii Sexto Idus Julii Anno Quarto.

CCXLIX.

1393. 25. Augusti.

Guilelmo de Spyc, canonico Bacsiensi, præposituram ecclesiæ Omnium Sanctorum in castro Vesprimiensi confert.

(Anni IV. Liber —. f. 8.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Guillelmo de Spyc, canonico Bachiensi, salutem etc. . . . Dudum siquidem dilecto filio Petro Egidii, Preposito ecclesie Omnium Sanctorum in castro Vesprimiensi, de custodia ecclesie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, tunc certo modo vacante . . . mandavimus provideri . . . Cum itaque propterea dicta prepositura in brevi vacare speretur, nos . . . prefatam preposituram, . . . cuius fructus . . . triginta marcharum argenti . . . annuum valorem . . . non excedunt, . . . conferendam tibi . . . donationi apostolice reservamus . . . Non obstantibus, . . . quod, ut asseris, canonicatum et prebendam Bachiensis predicte nosceris obtinere, et quod nuper tibi de canonicatu et prebenda Bosnensis ecclesiarum, . . . quorum omnium fructus . . . centum florenorum auri . . . annuum valorem . . . non excedunt, . . . extitit provisum . . . Datum Assisii Octavo Kalendas Septembris Anno Quarto.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Concordiensi et dilectis filiis Abbati Monasterii Tyconiensis ac Preposito ecclesie beati Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, . . . Datum ut supra.

CCL.

1393. 28. Augusti.

Ladislao parocho de Órs, Vesprimiensis dioecesis, præposituram ecclesiæ Omnium Sanctorum in castro Vesprimiensi confert.

(Anni IV. Liber —. f. 62.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Cantori ecclesie Strigoniensis salutem etc. . . . Dudum siquidem dilecto filio Petro Egidii, Preposito ecclesie Omnium Sanctorum in castro Vesprimiensi, de custodia ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, tunc certo modo vacante . . . mandavimus provideri, volentes inter cetera, quod idem Petrus, quamprimum . . . prefatam custodiam fuerit pacifice assecutus, prefatam preposituram . . . dimittere teneatur . . . Cum itaque propterea predicta prepositura in brevi vacare speretur, nos volentes dilectum filium Ladislaum, Rectorem parochialis ecclesie sancti Martini de Vrs, dicte diocesis, apud nos de vite ac morum honestate . . . commendatum, horum intuitu, nec non consideratione . . . Sigismundi Regis Ungarie Illustris, pro dicto Ladislao dilecto suo . . . supplicantis, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si . . . dictum Ladislaum . . . idoneum esse reppereris, . . . prefatam preposituram, cuius fructus . . . triginta marcharum argenti . . . annuum valorem . . . non excedunt, . . . eidem Ladislao . . . conferas . . . Non obstantibus . . . quod dictus Ladislaus, ut asseritur, canonicatum et prebendam ecclesie sancti Petri Veteribudensis predicte diocesis ac prebendam etiam, quorum fructus . . . vigintiquinque marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem . . . Datum Assisii Quinto Kalendas Septembris Pontificatus nostri Anno Quarto.

CCLI.

1393. 18. Septembris.

Andreæ Johannis, canonico Csanadiensi, parochialem ecclesiam de Meeg, Csanadiensis diœcesis, confert.

(Anni IV. Liber II. f. 136.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii beate Marie ac Preposito ecclesie Cenadiensis salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . quibus dilectus filius Andreas Johannis, canonicus ecclesie Cenadiensis, . . . commendatur, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Andree petitio continebat, quod olim parochiali ecclesia beate Marie de Meeg, Cenadiensis diocesis, per liberam resignationem dilecti filii Jacobi Wenceslai de Lipche, tunc ipsius ecclesie Rectoris, per eum de illa in manibus Venerabilis fratris Johannis Episcopi Cenadiensis, extra Romanam Curiam, sponte factam, et per eundem Episcopum, extra dictam Curiam, auctoritate ordinaria admissam vacante, dictus Episcopus eandem parochialem ecclesiam sic vacantem ipsi Andree eadem auctoritate contulit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Andreas dubitet collationem et provisionem predictas ex certis causis viribus non subsistere, et dicta ecclesia adhuc vacare noscitur, Nos, volentes prefato Andree gratiam facere specialem, Discretioni vestre mandamus, quatenus parochialem ecclesiam predictam, cuius fructus . . . triginta marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, dicto Andree, auctoritate nostra, conferre et assignare curetis . . . Non obstantibus, . . . quod predictus Andreas, ut asserit, in dicta Cenadiensi etiam, cum altari sancti Alberti, quorum quinquaginta ac in Orodiensi, cum prebendis, quorum triginta florenorum auri fructus . . . valorem annuum non excedunt, nec non in sancte Sapientie Titulensi, predicte Cenadiensis et Colocensis, diocesium ecclesiis auctoritate literarum nostrarum, sub expectatione prebende, canonicatus canonice noscitur obtinere. Volumus autem, quod predictus Andreas, quamprimum dictum parochialem ecclesiam fuerit assecutus, predictos canonicatum et prebendam ecclesie Orodiensis omnino dimittere teneatur . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quartodecimo Kalendas Octobris Anno Quarto.

CCLII.

1393. 18. Octobris.

Nicolao Eliæ, Rectori altaris b. Catharinæ in ecclesia Csanadiensi, canonicatum in ecclesia sancti Salvatoris Csanadiensi confert.

(Anni IV. Liber II. f. 307.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancte Marie Cenadiensis salutem . . . Cum canonicatus et prebenda ecclesie sancti Salvatoris Cenadiensis, quos quondam Andreas Pauli ipsius ecclesie canonicus . . . obtinebat, per ipsius Andree obitum, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, vacaverint et vacent. . . . Nos volentes dilectum filium Nicolaum Elie de Wchiron, Rectorem altaris beate Catherine, siti in ecclesia Cenadiensi, favore prosequi gratioso, Discretioni tue mandamus, quatenus, si . . . ydoneum esse reppereris, prefatos canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . viginti florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, conferre et assignare procures. Non obstantibus, . . . quod prefatus Nicolaus, ut asserit, altare predictum, cuius fructus . . . quinque florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kalendas Novembris Anno Quarto.

CCLIII.

1393. 21. Septembris.

Johanni Johannis, canonico Vesprimiensi, archidiaconatum de Ozd in ecclesia Transsilvania confert.

(Anni IV. Liber II. f. 138)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Tudensi et Waradiensi Episcopis ac dilecto filio Thesaurario ecclesie Transilvane salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . super quibus dilectus filius Johannes Johannis Eguer (seu Egner?), canonicus Vesprimiensis, . . . commendatur, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Johannis petitio continebat, quod olim archidiaconatu de Ozd in ecclesia Transilvana, quem quondam Ladislaus Petri de Wylak, Archidiaconus de Ozd, in eadem ecclesia, . . . obtinebat, per eius obitum, extra

Romanam Curiam, vacante, Venerabilis frater noster Demetrius Episcopus Transilvanus archidiaconatum predictum Johanni prefato, auctoritate ordinaria, contulit, idemque Johannes dictum archidiaconatum extitit assecutus . . . Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, dictus Johannes dubitet collationem huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere, et dictus archidiaconatus adhuc vacare noscatur, . . . Discretioni vestre mandamus, quatenus archidiaconatum predictum, qui curatus et dignitas, non tamen maior post pontificalem existit, cuiusque fructus . . . ducentorum et septuaginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, eidem Johanni, auctoritate nostra, conferre et assignare curetis. Non obstantibus, . . . quod idem Johannes, ut asserit, canonicatum et prebendam Vesprimiensis, quorum fructus . . . quadraginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et insuper sibi de canonicatu, sub expectatione prebende, Constantiensis, nec non de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine, ad collationem provisionem, presentationem, seu quamvis aliam dispositionem Episcopi Vesprimiensis et Capituli singulorumque canonicorum predictorum Vesprimiensium ecclesiarum . . . pertinente, vacante, vel vacaturo, gratiose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Johannes dicti archidiaconatus possessionem fuerit assecutus, prefata concessionis gratia de huiusmodi beneficio per nos sibi facta, et quecunque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Undecimo Kalendas Octobris Anno Quarto.

CCLIV.

1393. 25. Septembris.

Matthiæ Martini de Ravna, presbytero Nitriensi, parochialem ecclesiam de Silva, Nitriensis diœcesis, confert.

(Anni IV. Liber II. f. 186.)

Bonifacius etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii de Scala, Nitriensis diocesis, et Archidiacono Trincinensi ac Lectori ecclesie Nitriensis salutem etc. Vite ac morum honestas . . . super quibus dilectus filius Mathias Martini de Rowna, presbyter Nitriensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Mathie petitio continebat, quod olim parochiali

ecclesia, plebania nuncupata, beate Marie Virginis de Silva, dicte diocesis, per liberam resignationem dilecti filii Martini Sauli, tunc ipsius ecclesie Rectoris, plebani nuncupati, per eum de illa in manibus dilecti filii Petri, Rectoris altaris Omnium Sanctorum, siti in ecclesia Nitriensi, extra Romanam Curiam, sponte factam, et per eundem Petrum, habentem ad hoc a Venerabile fratre nostro Michaele Episcopo Nitriensi specialem potestatem, extra dictam Curiam, huiusmodi potestatis vigore, admissam vacante, prefatus Episcopus ecclesiam ipsam dicto Mathie, auctoritate ordinaria, contulit et de illa etiam providit, ipseque Mathias eandem ecclesiam, vigore collationis et provisionis huiusmodi, assecutus, illam per nonnulla tempora tenuit et possedit pacifice et quiete, licet postmodum dilectus filius Blasius Moravus, presbyter Olomucensis diocesis, eundem Mathiam dicta ecclesia contra iustitiam spoliarit, illamque extunc detinuerit et detineat indebite occupatam, et tam ipse quam etiam dilectus filius Petrus Nicolai, presbyter dicte Nitriensis diocesis, eundem Mathiam occasione predicte parochialis ecclesie multipliciter molestarint, propter que prefatus Mathias ad Sedem Apostolicam appellavit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus Mathias dubitet collationem et provisionem predictas ex certis causis viribus non subsistere, et ecclesia ipsa adhuc vacare noscatur, Nos, volentes dicto Mathie gratiam facere specialem, Discretioni vestre mandamus, quatenus, si, vocatis dictis Blasio et Petro et aliis, qui fuerint evocandi, ecclesiam predictam, cuius fructus . . . viginti florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, vacare reppereritis, eidem Mathie, auctoritate nostra, conferre et assignare curetis . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Octobris Anno Quarto.

CCLV.

1393. 28. Septembris.

Bartholomæo Cardinali, canonico Strigoniensi, ac Præposito s. Georgii de Viridi Campo Strigoniensi et Petro Gregorii Præposito Colocensi concedit, ut beneficia invicem permutari possint.

(Anni IV. Liber II. f. 245.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Francisco Episcopo Penestrino, S. R. Ecclesie Vicecancellario, salutem etc. Apostolice Sedis circumspecta benignitas desideria iusta petentium congruo favore prosequitur et votis eorum, que a rationis tramite non discordant, libenter se propitiam exhibet et benig-

nam. Dudum siquidem dilecto filio nostro Bartholomeo, tituli sancte Pudentiane presbytero Cardinali, de canonicatu et prebenda maioris Strigoniensis et prepositura S. Georgii de Viridi Campo Strigoniensis tunc per obitum quondam Jacobi de Bredenscheid, ipsarum maioris Canonici et S. Georgii ecclesiarum Prepositi, vacantibus et inantea dispositioni apostolice reservatis duximus providendum. Cum autem dictus Cardinalis predictos canonicatum et prebendam ac preposituram, illorum per eum possessione non habita et dilectus filius Petrus Gregorii canonicatum et prebendam ac preposituram ecclesie Colocensis, quos obtinent, desiderent ... invicem permutare, Nos Fraternitati tue mandamus, quatenus ab ipsis resignationes, si eas ex causa permutationis huiusmodi facere voluerint, auctoritate nostra, recipias, et Cardinali canonicatum et preposituram Colocensis, etiamsi curata et dignitas maior post pontificalem, aut personatus, vel officium existat, ac Petro Strigoniensis canonicatus et prebendam ac S. Georgii ecclesiarum preposituram predictos, quorum fructus ... sexaginta marcharum argenti ... non excedunt, conferas et assignes. Non obstantibus, ... quod Cardinalis ordinis S. Benedicti professor existit, ... seu quod idem Petrus canonicatum et prebendam ecclesie Zagrabiensis, quorum fructus ... duodecim marcharum argenti puri ... valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Nos enim cum eodem Cardinali, ut dictam preposituram ecclesie Colocensis, una cum ecclesia S. Pudentiane de Urbe ac dignitatibus, personatibus, officiis, canonicatibus et prebendis et aliis beneficiis ecclesiasticis, que obtinet et expectat, retinere possit, auctoritate apostolica dispensamus ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Kalendas Octobris Anno Quarto.

CCLVI.

1393. 5. Octobris.

Thomæ Stephani, parocho de Acsak Quinqueecclesiensis diœcesis, canonicatum in ecclesia Colocensi confert.

(Anni IV. Liber II. f. 324.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii de Zochzard ac Preposito ecclesie de Hayzent Luhrech[1],

[1] Háj-Szent-Lőrincz — S. Laurentii de Háj.

Quinqueecclesiensis et Colocensis diocesum, salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . quibus apud nos dilectus filius Thomas Stephani, Rector parochialis ecclesie de Achak, plebanus nuncupatus, Quinqueecclesiensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque canonicatus et prebenda ecclesie Colocensis, quos quondam Zony Nicolai obtinebat, per ipsius Zony obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent, Nos . . . Discretioni tue mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . octo marcharum argenti . . . annuum valorem non excedunt, prefato Thome, auctoritate nostra, conferre et assignare curetis . . . Non obstantibus, . . . quod prefatus Thomas parochialem ecclesiam predictam, cuius fructus . . . quinque marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Thomas canonicatus et prebende possessionem fuerit assecutus, parochialem ecclesiam predictam dimittere teneatur . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Nonas Octobris Anno Quarto.

CCLVII.

1393. 17. Octobris.

Thomam Brinneni canonicatu ecclesiæ Csasmensis privari iubet.

(Anni IV. Liber II. f. 251.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao electo Potentino, in Romana Curia commoranti, salutem. Dudum ad audientiam nostram deducto, quod Thomas Brinneni (?), canonicus Thesaurarius ecclesie S. Spiritus Casmensis, Zagrabiensis diocesis, diabolico spiritu instigatus quondam Petrum Wulsconis laycum inhumaniter interfecit, nos attendentes, quod, veris existentibus supradictis, . . . dictus Thomas canonicatu nec non thesauraria reddidit se indignum, Episcopo Zagrabiensi, eius nomine proprio non expresso, per quasdam, ut vocatis eodem Thoma et aliis evocandis, summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii, inquireret diligentius veritatem, et si inveniret ita esse, canonicatu et prebenda nec non thesauraria privaret; et nichilominus per alias nostras literas mandavimus, ut si eum ita privari contigerit, canonicatum et prebendam ac thesaurariam predictas prefato Nicolao conferret. Postmodum vero, sicut pro

parte Nicolai nuper petitio continebat, cum predictus Episcopus vices suas Johanni Lanzelotti, eius Vicario in spiritualibus generali, et Johanni Crispi Archidiacono de Kemluch in ecclesia Zagrabiensi commisisset, ipsique procedere recusassent super hoc, per ipsum Nicolaum loco et tempore congruis humiliter requisiti, Nos de hoc per eundem Nicolaum certificati, causam dilecto filio Valentino tituli sancte Sabine presbytero Cardinali, tunc et nunc in Regno Ungarie commoranti, primo et deinde ex certis causis tibi, tunc Capellano nostro et Auditori causarum Palatii apostolici, ad instantiam dicti Nicolai, audiendam commisimus et fine debito terminandam; non obstante, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam Curiam legitime devoluta et apud eam tractanda et finienda non esset. Cum autem sicut petitio subiungebat, a plerisque asseratur, quod contra eundem Thomam, pretextu predicte commissionis, per nos tibi facte, procedere nequeas, pro parte dicti Nicolai fuit supplicatum, ut providere sibi super hoc dignaremur. Nos igitur tibi, qui adhuc locum unius ex Auditoribus causarum dicti Palatii obtines, mandamus, quatenus, vocatis Thoma et aliis evocandis, summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii, sola facti veritate inspecta, ac terminis de stilo dicti Palatii observari consuetis abbreviatis, in causa procedas, in omnibus et per omnia iuxta literarum eidem Episcopo per nos directarum continentiam et tenorem. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimosexto Kalendas Novembris Anno Quarto.

CCLVIII.

1393. 18. Octobris.

Nicolao Laurentii, canonico Bosnensi, archidiaconatum de Aziag in ecclesia Quinqueecclesiensi confert.

(Anni IV. Liber II. f. 32.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Boznensi et dilectis filiis Lectori ac Custodi ecclesie Boznensis salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos dilectus filius Nicolaus Laurentii, canonicus Boznensis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai petitio continebat, quod olim archidiaconatu de Aziag in ecclesia Quinqueecclesiensi, quem quondam Blasius, dictus Benefac, Archi-

diaconus de Aziag in eadem ecclesia obtinebat, per ipsius obitum, extra Romanam Curiam, vacante, idem Nicolaus, vigore quarundam literarum nostrarum, per quas dignitatem, aut personatum, vel officium, cum cura, vel sine, in eadem ecclesia expectabat, archidiaconatum ipsum, qui dignitas, non tamen maior post pontificalem in eadem ecclesia existit, infra tempus legitimum, acceptavit, et de illo sibi provideri fecit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus Nicolaus dubitet acceptationem et provisionem predictas ex certis causis viribus non subsistere, et, sicut accepimus, archidiaconatus ipse adhuc vacare noscatur, Nos volentes eidem Nicolao, cum etiam, ut asserit, dilectus filius noster Valentinus, tituli sancte Sabine presbyter Cardinalis, Administrator ecclesie predicte per Sedem Apostolicam in spiritualibus et temporalibus specialiter deputatus, de huiusmodi archidiaconatu, tunc, ut credebatur, vacante, etiam auctoritate ordinaria, providit, gratiam facere specialem, ipsumque in dicta ecclesia amplius honorare, Discretioni tue mandamus, quatenus archidiaconatum predictum, . . . cuius fructus . . . viginti marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, sive premisso, sive alio quovis modo, aut ex alterius cuiusvis persona, vel per matrimonium per dilectum filium Galwanum Bartholomei, qui Archidiaconus de Aziag in predicta ecclesia ab aliquibus reputabatur, extra dictam Curiam cum quadam muliere contractum vacet, etiam si tanto tempore vacaverit, quod eius collatio iuxta Lateranensis statuta concilii ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, aut archidiaconatus ipse dispositioni apostolice specialiter reservatus et curatus existant, et uterque, vel alter dictorum Blasii et Galwani, aut persona, per cuius ultimo vacavit, Capellanus aut alias officialis vel nuntius . . . fuerit, vel iniquitatis alumno Roberto olim Basilice XII. Apostolorum presbytero Cardinali, nunc Antipape, qui se Clementem VII. nominat, adheserit . . . eidem Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, . . . quod idem Nicolaus, ut asserit, in predicta et in Boznensi ecclesiis, cuius cantoriam, canonicatus et prebendam, quorum fructus . . . viginti marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum Nicolaus archidiaconatum predictum fuerit assecutus, eandem cantoriam dimittere teneatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kalendas Novembris Anno Quarto.

CCLIX.

1393. 18. Octobris.

Petro Nicolai parochialem ecclesiam confert.

(Anni IV. Liber —. f. 160.)

Bonifacius etc. — — — Petrus Peccahen — — obtinebat, per ipsius Petri — extra Romanam Curiam decessit, vacare — Sigismundus Rex Ungarie — patronus eundem ecclesie existens — iuris presentandi Recctorem ad dictam — Petrum Nicolai Venerabili fratri nostro Michaeli — infra tempus legitimum presentavit, denique Episcopus eundem Petrum Nicolai in Rectorem ipsius ecclesie auctoritate ordinaria instituit — prefatus Petrus — presentationem et institutionem predictas ex certis — non subsistere et sicut accepimus prefata ecclesia — vacare noscatur. Nos ... mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Petrum Nicolai ... ydoneum ad dictam ecclesiam obtinendam ... inveneris ... predictam ecclesiam, cuius fructus ... sexdecim marcharum argenti ... valorem annuum ... non excedunt ... — Datum Rome apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kalendas Novembris Anno Quarto.

CCXXX.

1393. 3. Novembris.

Fidelibus altare Trium Regum in ecclesia s. Mariæ Budæ devote visitantibus indulgentias concedit.

(Anni IV. Liber II. f. 222.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem. . . . Cupientes igitur, ut altare sanctorum Trium Regum, Marie Magdalene, Elisabeth et Helene, situm in parochiali ecclesia sancte Marie Budensis, Vesprimiensis diocesis, congruis honoribus frequentetur et etiam conservetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad illud, et ad eius conservationem manus promptius porrigant adiutrices, ... omnibus vere penitentibus et confessis, qui in festo eiusdem sancte Marie Magdalene, predictum Altare devote visitaverint annuatim et ad conservationem huiusmodi manus porrexerint adiutrices duos annos et

totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Nonas Novembris Anno Quarto.

CCXXXI.

1392. 3. Novembris.

Fidelibus ecclesiam b. Mariæ V. domus s. Pauli primi Eremitæ de Örményes, Vesprimiensis diœcesis, indulgentias largitur.

(Anni IV. Liber II. f. 238.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem. . . . Cupientes igitur, ut ecclesia beate Marie Virginis domus sancti Pauli primi heremite de Eurmenent, ordinis sancti Augustini, Vesprimiensis diocesis, que, ut asseritur, per dilectum filium nobilem virum Nicolaum de Canysa de novo canonice fundata et sufficienter dotata extitit, congruis honoribus frequentetur, et ut Christi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem ecclesiam, . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui in Nativitatis, Circumcisionis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini nostri Jesu Christi ac Penthecostes, nec non in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis et Assumptionis eiusdem beate Marie Virginis et Nativitatis sancti Johannis Baptiste et dictorum Apostolorum Petri et Pauli et dicte ecclesie Dedicationis festivitatibus, nec non celebritate Omnium Sanctorum ac predictarum Nativitatis, Epiphanie, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini ac Nativitatis et Assumptionis beate Marie et Nativitatis S. Johannis Baptiste ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum predictorum festivitatum octavas et per sex dies dictum festum Penthecostes immediate sequentes, eandem ecclesiam devote visitaverint annuatim, singulis videlicet festivitatum et celebritatis quinque annos et totidem quadragenas, octavarum vero et sex dierum predictorum diebus, quibus ecclesiam ipsam devote visitaverint, ut prefertur, centum dies de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus. Volumus autem, quod si alias visitantibus dictam ecclesiam, aut ad eius conservationem seu fabricam manus porrigentibus adiutrices, seu alias inibi pias eleemosinas erogantibus, seu alias aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, presentes litere nullius existant roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Nonas Novembris Anno Quarto.

CCXXXII.

1392. 7. Novembris.

Nicolao Johannis de Kanizsa concedit, ut, non obstante voto, secundum matrimonium contrahere possit.

(Anni IV. Liber II. f. 149.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Vesprimiensi salutem etc. Sincere devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Nicolaus Johannis de Kanitza, miles tue diocesis, ad nos et Romanam gerit ecclesiam, promeretur, ut votis suis, quantum cum Deo possumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio, pro parte dicti Nicolai nobis nuper exhibita, continebat, quod dudum ipse, quondam Catherina uxore sua ab hac luce subtracta, matrimonium cum alia muliere non contrahere vovit, quodque, quia genus suum personarum numero postmodum est diminutum, huiusmodi non obstante voto, ad secunda vota transire desiderat. Quare pro parte dicti militis nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi super hoc de salubri remedio de benignitate apostolica providere dignaremur. Nos igitur, huiusmodi supplicationibus, quantum cum Deo possumus, in hac parte favorabiliter annuentes, Fraternitati tue, de qua in hiis et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, per apostolica scripta, committimus et mandamus, quatenus, si est ita, hac vice duntaxat votum huiusmodi eidem militi, auctoritate nostra, commutes in alia opera pietatis, prout secundum Deum anime sue saluti videris expedire. Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Idus Novembris Anno Quarto.

CCLXIII.

Sine dato.

Andreæ Blasii canonicatum in ecclesia Transsilvana confert.

(Anni IV. Liber —, f. 60.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie beate Marie Albere-galis, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Vite et morum honestas, . . . quibus apud nos dilectus filius Andreas Blasii de Albere (?), clericus Vesprimiensis diocesis, . . . commendatur . . . nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum . . . dilectus filius Jacobus Andree, canonicus ecclesie Transsilvane, —— resignare —— mandamus, —— si eam, libere et sponte facere voluerit — recipias et admittas — eosdem canonicatum et prebendam, quorum fructus . . . sexaginta florenorum auri . . . annuum valorem . . . non excedunt, cum per huiusmodi resignationem vacare — Datum Perusii — Anno Quarto.

CCLXIV.

Sine dato.

Fragmentum cuiusdam collationis.

(Anni IV. Liber —. f. 246 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio — Zagrabiensi familiari nostro salutem. — Vite ac morum honestas aliaque laudabilia — quibus personam tuam tam familiari conversatione, quam etiam fidedignorum testimoniis percepimus — accepto quod prepositura sancti Andree — Brixiensis quam quondam Vincentius . . . obtinebat . . . — tibi gratiose mandavimus — sibi super hoc executoribus deputatis — Datum Perusii Quarto — Quarto.

ANNUS QUINTUS.

1393. 9. NOVEMBRIS—1394. 8. NOVEMBRIS.

CCLXV.

1393. 13. Novembris.

Michaeli Pauli canonicatum in ecclesia Quinqueecclesiensi confert.

(Anni V. Liber XLIX. f. 19.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Michaeli Pauli, canonico ecclesie Quinqueecclesiensis, salutem etc. . . . Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Quinqueecclesiensis . . . tibi conferimus. Non obstantibus, . . . quod nuper tibi, ut asseris, de canonicatu sub expectacione prebende ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, nec non de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem . . . Episcopi et Capituli Quinqueecclesiensis communiter vel divisim pertinente gratiose concessimus providere . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Novembris Anno Quinto.

Simili modo. Venerabilibus fratribus Tudensi et Vesprimiensi Episcopis et dilecto filio Preposito ecclesie sancte Marie de Submonte Irug, Quinqueecclesiensis diocesis. Datum ut supra.

CCLXVI.

1393. 29. Novembris.

Magistrum Georgium Michaelis, Archidiaconum Bacsiensem, Capellanum Pontificium creat.

(Regest. Bullarum Vol. 314. f. 179.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Georgio Michaelis, Archidiacono ecclesie beati Pauli Apostoli Bachiensis, Capellano nostro, salutem etc. Virtutibus clarus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Quinto.

L. de Forlivo. P. de Bosco.
T. Fabri. Lazarus.

CCLXVII.

1393. 1. Decembris.

Magistrum Eberhardum Henrici, Præpositum Cibiniensem, Capellanum Pontificium creat.

(Regest. Bullarum. Vol. 314. f. 179.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Eberardo Henrici, Preposito ecclesie Sibiniensis, Capellano nostro, salutem etc. Virtutibus clarus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendas Decembris Pontificatus nostri Anno Quinto.

P. de Bosco.

Lazarus.

CCLXVIII.

1393. 11. Decembris.

Privilegia Monialium de Valle Vesprimiensi confirmat.

(Tabularium Regnicolare Hungariæ. Apud Fejér. Codex Diplom. Tom. X. Vol. II. 199.)

Bonifacius etc. . . . Dilectis in Christo filiabus Abbatisse et Conventui Monasterii beate Marie de valle Vesprimiensi, Vesprimiensis diocesis, salutem . . . Vestris iustis postulationibus grato concurrentes assensu, omnes libertates et immunitates a predecessoribus nostris, Romanis Pontificibus, sive per privilegia sive alias indulgentias vobis et vestro Monasterii concessas, nec non libertates et exemptiones secularium exactionum, a Regibus et principibus et aliis Christi fidelibus, rationabiliter vobis et Monasterio vestro predicto indultas, . . . confirmamus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Idus Decembris Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCLXIX.

1393. 13. Decembris.

Lucæ Clementis beneficium in diœcesi Quinqueecclesiensi confert.

(Anni I. Liber XLI. f. 29 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Luce Clementis de Posagalbar, presbytero Quinqueecclesiensis diocesis, salutem etc. . . . Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, cuius fructus, redditus et proventus, si cum cura vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, ad collationem . . . Venerabilis fratris nostri . . . Episcopi Quinqueecclesiensis et dilectorum filiorum . . . Capituli . . . ecclesie Quinqueecclesiensis pertinens, . . . si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, quod tu . . . infra unius mensis spatium, postquam tibi . . . vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandum, conferendum tibi post acceptationem huiusmodi . . . donationi apostolice reservamus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Decembris Anno Quinto.

Simili modo. Venerabili fratri nostro Episcopo Tudensi et dilectis filiis Quinqueecclesiensis ac sancti Petri de Posega, Quinqueecclesiensis diocesis, ecclesiarum Prepositis . . . Datum ut supra.

CCLXX.

1393. 23. Decembris.

Petrum, Abbatem Monasterii S. Jacobi de Silisio, Monasterio s. Mauritii de Bél Abbatem præficit.

(Anni V. Liber XLV. f. 79.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Petro, Abbati Monasterii sancti Mauritii de Beel, ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. . . . Dudum siquidem quondam Paulo Abbate Monasterii sancti Mauritii de Beel, ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis, regimini ipsius Monasterii presidente, nos cupientes eidem Monasterio, cum vacaret, per Apostolice Sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, pro-

visionem ipsius Monasterii ordinationi et dispositioni nostre ea vice reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis . . . contigerit attemptari. Postmodum vero Monasterio predicto per ipsius Pauli Abbatis obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, Abbatis regimine destituto, nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta, ad provisionem ipsius Monasterii celerem et felicem . . . intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo ipsi Monasterio personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te, Abbatem Monasterii sancti Jacobi de Silizio, ordinis et diocesis predictorum, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam illarum largitor Dominus insignivit, et quod tu, qui regimini dicti Monasterii sancti Jacobi hactenus laudabiliter prefuisti, Monasterium ipsum sancti Mauritii scies et poteris, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostre mentis; quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Monasterio sancti Mauritii de dictorum fratrum consilio, auctoritate apostolica, providemus, teque illi preficimus in Abbatem . . . Volumus autem, quod, antequam possessionem administrationis bonorum dicti Monasterii sancti Mauritii recipias, in manibus Venerabilium fratrum nostrum Archiepiscopi Strigoniensis et Episcopi Waciensis fidelitatis debite prestes iuramentum, iuxta formam, quam sub Bulla nostra mittimus interclusam, quibus et eorum cuilibet per alias nostras litteras mandamus, ut a te, nostre et Romane ecclesie nomine, huiusmodi recipiant seu recipiat iuramentum, quodque in eodem Monasterio sancti Mauritii solitus monachorum et ministrorum numerus nullatenus minuatur . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimo Kalendas Januarii Anno Quinto.

Simili modo. Dilectis filiis Conventui Monasterii Sancti Mauritii de Beel, ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis . . . Datum ut supra.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Vesprimiensi . . . Datum ut supra.

CCLXXI.

1394. 5. Januarii.

Johanni Ladislai, canonico Vesprimiensi, canonicatum in ecclesia b. Mariæ Albæregalis confert.

(Anni V. Liber IV. f. 133 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancti Aniani de Tichonio, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. . . . Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, quos quondam Johannes Nicolai eiusdem ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, nos volentes dilectum filium Johannem Ladislai, canonicum Vesprimiensem, apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem prefatum Johannem Ladislai ad hoc ydoneum esse repperеris, super quo tuam conscientiam oneramus, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quinquaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Johannes Ladislai asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovis modo . . . vacent, . . . dummodo tempore date presentium non sit in eisdem canonicatu et prebenda alicui specialiter ius quesitum, . . . eidem Johanni Ladislai, auctoritate nostra, conferas et assignes . . . Non obstantibus, . . . quod idem Johannes Ladislai, ut asserit, canonicatum et prebendam Vesprimiensis ac prepposituram beate Marie Magdalene Wesien, dicte diocesis, quorum omnium octuaginta, obtinet *(sic)*, nec non super canonicatu et prebenda Zagrabiensis, quorum sexaginta florenorum auri fructus . . . valorem annuum non excedunt, in Palatio apostolico litigat, et nos dudum sibi de ipsarum Vesprimiensis et Zagrabiensis ecclesiarum dignitatibus, personatibus, vel officiis vacantibus, vel vacaturis gratiose concessimus provideri. Volumus autem, quod idem Johannes Ladislai, quamprimum vigore presentium prefatos canonicatum et prebendam ecclesie beate Marie Alberegalis fuerit pacifice assecutus, dictam prepposituram, quam, ut prefertur, obtinet, quamque ex tunc vacare decernimus, omnino, prout ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Januarii Anno Quinto.

CCLXXII.

1394. 5. Januarii.

Andreæ Blasii de Albaregali canonicatum in ecclesia b. Mariæ Albæregalis confert.

(Anni V. Liber IV. f. 149 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Andree Blasii de Albaregali, canonico ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcumque Succollectorum fructuum et proventuum Camere Apostolice debitorum tunc vacantia et in antea vacatura collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam . . . contigeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ecclesie beate Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, quos quondam Johannes Nicolai Sartoris ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui predictorum fructuum et proventuum in civitate et diocesi Vesprimiensi, predicte Camere debiorum, Succollector existens extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, . . . nos volentes tibi, qui presbyter es, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut asseris, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo . . . vacent, . . . apostolica tibi auctoritate conferimus . . . Non obstantibus, . . . quod dudum tibi, ut asseris, de canonicatu et prebenda ecclesie Alberegalis, quorum fructus . . . sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacantibus, gratiose concessimus provideri . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Januaris Anno Quinto.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Preposito ac Cantori ecclesie sancti Petri Veterisbude, Vesprimiensis diocesis . . . Datum ut supra.

CCLXXIII.

1394. 6. Januarii.

Nicolao Jacobi, canonico Bosnensi, canonicatum in ecclesia Waradiensi confert.

(Anni V. Liber IV. f 101.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Strigoniensi et Episcopo Boznensi ac dilecto filio Preposito ecclesie sancti Georgii de Viridicampo Strigoniensi salutem etc. Literarum scientia, vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos dilectus filius Nicolaus Jacobi, canonicus Boznensis, magister in artibus, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Waradiensis, quos quondam Abraham dictus Magnus, ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Abrahe obitum, qui extra Romanam Curiam diem suum clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, nos volentes predicto Nicolao, . . . gratiam facere specialem, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Nicolaus asserit, non excedunt, sive premisso, sive alio quovis modo . . . vacent, . . . dummodo tempore date presentium non sit in eisdem canonicatu et prebenda alicui specialiter ius quesitum, . . . eidem Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, . . . quod idem Nicolaus, ut asserit, parochialem ecclesiam sancti Nicolai in Dubronoch, Boznensis diocesis, ac canonicatum et prebendam Boznensem, quorum quindecim, obtinet, et nos dudum sibi de cantoria eiusdem Boznensis et thesauraria alias custodia nuncupata Agriensis, quarum quadraginta quinque marcharum argenti fructus . . . valorem annuum non excedunt, tunc certis modis vacantibus, nec non de canonicatu, sub expectatione prebende, ac dignitatis, personatus, vel officii ipsius Agriensis ecclesiarum gratiose concessimus provideri . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Octavo Idus Januarii Anno Quinto.

CCLXXIV.

1394. 8. Januarii.

Johanni Marci de Arki canonicatum in ecclesia Csanadiensi confert.

(Anni V. Liber IV. f. 268 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Marci de Arki, canonico Cenadiensi, salutem etc. . . . Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Cenadiensis apostolica tibi auctoritate conferimus . . . Non obstantibus, . . . quod, ut asseris, parochialem ecclesiam de Peel obtines, et nuper tibi de canonicatu, sub expectatione prebende, ac dignitatis, personatus, vel officii ecclesie sancti Martini Orodiensis, Cenadiensis diocesis, nec non de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo, ad collationem . . . Venerabilis fratris nostri Episcopi et dilectorum filiorum Capituli Agriensis . . . pertinente gratiose concessimus provideri, quas quidem concessionum gratias et quecumque inde secuta, quoad incompatibile dumtaxat, exnunc cassamus et irritamus, ac nullius esse volumus roboris vel momenti. Volumus autem, quod quamprimum, vigore presentium, canonicatum et prebendam, vel aliquam dignitatem, vel personatum, aut officium fueris pacifice assecutus, prefatam parochialem ecclesiam, quam, ut prefertur, obtines, quamque extunc vacare decrevimus, omnino, prout ad id se etiam sponte obtulisti, dimittere tenearis. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Idus Januarii Anno Quinto.

Simili modo. Venerabili fratri Patriarche Gradensi et dilectis filiis sancti Salvatoris Cenadiensis ac Orodiensis ecclesiarum Prepositis . . . Datum ut supra.

CCLXXV.

1394. 16. Januarii.

Nicolao Jacobi, canonico Bosnensi, canonicatum in ecclesia Bacsiensi confert.

(Anni V. Liber IV. f. 194.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Strigoniensi et Episcopo Boznensi ac dilecto filio Preposito ecclesie sancti Georgii de Viridicampo Strigoniensi, salutem etc. Literarum scientia vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos dilectus filius Nicolaus Jacobi, canonicus ecclesie Boznensis, magister in artibus, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Bachiensis, quos quondam Johannes, alias dictus Veies, ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, nos volentes eidem Nicolao . . . gratiam facere specialem, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quindecim marcharum argenti . . . valorem annuum, ut ipse Nicolaus asserit, non excedunt, sive premisso, sive alio quovis modo, . . . vel per liberam resignationem dilecti filii Johannis de Molino, tunc predictos canonicatum et prebendam obtinentis, per eum de illis apud Sedem Apostolicam in manibus ad id potestatem habentis sponte factam et per huiusmodi eandem potestatem habentem apud eandem Sedem admissam vacent, etiamsi tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio . . . ad Sedem Apostolicam legitime devoluta, seu ipsi canonicatus et prebenda dispositioni apostolice specialiter reservati existant, et super ipsis in Palatio apostolico inter aliquos lis, cuius statum presentibus haberi volumus pro expresso, pendeat indecisa; . . . prefato Nicolao auctoritate nostra conferre et assignare curetis. Nos obstantibus, quod . . . dudum eidem Nicolao de cantoria Boznensis ac canonicatu et prebenda Waradiensis ecclesiarum, quorum viginti, mandatum fuit auctoritate apostolica provideri, quodque ipse parochialem ecclesiam sancti Nicolai de Dubronok, Boznensis diocesis, nec non canonicatum cum prebenda Boznensis predicte, quorum quindecim marcharum argenti fructus . . . valorem annuum non excedunt, et auctoritate literarum nostrarum, sub expectatione prebende, nec non dignitatis, personatus,

vel officii, Agriensis ecclesiarum canonicatus noscitur obtinere . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimoseptimo Kalendas Februarii Anno Quinto.

CCLXXVI.

1394. 16. Januarii.

Gregorio Gulre, beneficiato in ecclesia Bosnensi, canonicatum in eadem ecclesia confert.

(Anni V. Liber IV. f. 288 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Bachiensis salutem etc. . . . Volentes igitur dilectum filium Gregorium Gulre, clericum perpetuum beneficiatum ad altare beati Petri, situm in ecclesia Boznensi, . . . favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem dictum Gregorium ad hoc ydoneum esse reppereris, . . . eidem Gregorio de canonicatu ecclesie predicte . . . provideri procures . . . Non obstantibus, . . . quod idem Gregorius, ut asseritur, quoddam perpetuum beneficium, sine cura, magistratum nuncupatum, ad altare predictum, noscitur obtinere . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimodecimo Kalendas Februarii Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCLXXVII.

1394. 5. Februarii.

Johanni Thomæ canonicatum in ecclesia Strigoniensi confert.

(Anni V. Liber IV. f. 275.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Thome, canonico Strigoniensi, salutem etc. Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Strigoniensis . . . apostolica tibi auctoritate conferimus . . . Prebendam vero ac dignitatem, vel personatum, seu officium, cum cura vel sine cura ipsius ecclesie, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in eadem ecclesia non existat, etiamsi ad eam consueverit quis per electionem assumi, si que, vel si qui, aut si qua vacant ad presens, vel cum vacaverint, quas vel quos seu que, . . . infra unius

mensis spatium, postquam tibi . . . vacatio illarum, vel illorum innotuerit, duxeris acceptandas, acceptandos, seu acceptanda, conferendas, vel conferendos, seu conferenda tibi, post acceptationem huiusmodi, . . . donationi apostolice reservamus . . . Non obstantibus, . . . quod canonicatum et prebendam ecclesie Quinqueecclesiensis nosceris obtinere . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonas Februarii Anno Quinto.

Simili modo. Dilectis filiis Zagrabiensi et sancte Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, ac sancti Johannis Baptiste in Castro Quinqueecclesiensi ecclesiarum Prepositis . . . Datum ut supra.

CCLXXVIII.

1394. 14. Februarii.

Johanni Momch clerico Transsilvano cantoriam in ecclesia Transsilvana confert.

(Anni V. Liber IV. f. 59 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Monch, clerico Transilvane diocesis, salutem etc. . . . Dudum siquidem dilecto filio Ladislao Laurentii, Cantori ecclesie Transilvane, de canonicatu, sub expectatione prebende, nec non dignitatis, personatus, vel officii, cum cura vel sine cura, eiusdem ecclesie, per nostras literas gratiose duximus providendum, volentes inter cetera, quod idem Ladislaus, quamprimum vigore dictarum literarum canonicatum et prebendam, aut dignitatem, vel personatum, seu officium huiusmodi foret pacifice assecutus, cantoriam predictam, quam tunc temporis obtinebat, prout obtinet, et quam extunc vacare decrevimus, omnino dimittere teneretur, . . . Cum itaque propterea predicta cantoria vacare speretur, nos volentes tibi . . . consideratione Venerabilis fratris nostri Philippi Episcopi Ostiensis, pro te dilecto familiari suo domestico et continuo commensali nobis humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, cantoriam predictam, que dignitas, non tamen maior post pontificalem, in ipsa ecclesia et sine cura existit, et ad quam quis per electionem non assumitur, cuiusque fructus . . . centum et sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, cum illam, ut prefertur, vel alias quovismodo, preterquam per ipsius Ladislai obitum, vacare contigerit conferendum tibi . . . donationi apostolice reser-

vamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimosexto Kalendas Martii Anno Quinto.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Eugubino et dilectis filiis Abbati Monasterii beate Marie de Clusmonostra ac Archidiacono ecclesie de Albaiula, Transilvane diocesis . . . Datum ut supra.

CCLXXIX.

1394. 5. Aprilis.

Nicolao Petri de Sys, Rectori altaris in ecclesia Nitriensi, canonicatum in eadem ecclesia confert.

(Anni V. Liber IV. f. 139.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi, et dilectis filiis de Sancto Benedicto, ac de Collos, Strigoniensis diocesis, Monasteriorum Abbatibus, salutem etc. Vite ac morum honestas . . . super quibus apud nos dilectus filius Nicolaus Petri de Sys, Rector altaris sancti Johannis Evangeliste, siti in ecclesia Nitriensi, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai, petitio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie predicte, quos quondam Andreas Nicolai, ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Andree obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacantibus, idem Nicolaus vigore quarumdam literarum nostrarum per nos gratiose sibi concessarum, per quas canonicatum ipsius ecclesie obtinens, prebendam inibi expectabat; eandem sic vacantem, infra tempus legitimum acceptavit, . . . ipsamque . . . ex tunc tenuit et possedit, prout tenet et possidet de presenti. Cum autem, . . . dictus Nicolaus dubitet acceptationem et provisionem huiusmodi ex certis causis viribus non subsistere, et, sicut accepimus, dicti canonicatus et prebenda adhuc, ut prefertur, vacare noscantur, nos volentes dicto Nicolao . . . gratiam facere specialem, Discretioni vestre, . . . mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quadraginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Nicolaus asserit, non excedunt, sive premisso, sive alio quovis modo . . . vacent, . . . eidem Nicolao . . . conferre et assignare curetis . . . Non obstantibus, . . . quod dictus Nicolaus altare predictum, cuius fructus . . . duodecim florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse

Nicolaus asserit, non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum idem Nicolaus . . . dictos canonicatum et prebendam fuerit pacifice assecutus, predicte litere et processus habiti per easdem et quecumque inde secuta sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Aprilis Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCLXXX.

1394. 24. Aprilis.

Johannem, Archiepiscopum Strigoniensem, Primatem et in provincia Strigoniensi constituit Sedis Apostolicæ Legatum natum.

(Originale in Tabulario Primatiali Strigoniensi. Apud Fejér. Codex Diplom. Tom. X. Vol. 2. p. 200—3.)

Bonifacius etc. . . . Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi, Primati ac Apostolice Sedis Legato, salutem etc. . . . Sane licet ad singulas regiones, Deo et Apostolice Sedi devotas, nostre considerationis diffundamus intuitum, tamen ad Regnum Hungarie quadam speciali affectione, attentis et consideratis potissimum eximio fervore devotionis, quem charissimus in Christo filius noster Sigismundus Rex Hungarie Illustris et tu ac incole dicti regni, etiam ad nos et Romanam Ecclesiam, non sine magne laudis preconio, gerere comprobamini, dirigimus aciem nostre mentis; ac sperantes, quod tu ea, que tibi committimus, scies et poteris, authore Domino, et ad eius laudem et gloriam et exaltationem fidei, nec non prosperum statum incolarum predictorum, presertim metropolitico iure, seu, alias ratione Archiepiscopatus tui Strigoniensis subiectorum tibi exequi sollicite, fideliter et prudenter; quamobrem cum affectionis paterne plenitudine digesto consilio ac perpensa deliberatione, maxime, quia innumerabilium sumus quasi negotiorum varietate distracti, in quod humana natura, quam patimur, non patitur, ut essentia toti corporis tota simul in diversis locis exhibeat se presentem, te, quem percipimus zelum iustitie colere et esse pacis auctorem ac tibi coelesti esse dono provisum, ut in ordinis negotiis scias et possis providere, quandoquidem personam tuam Dominus scientiarum magnitudine, providentie munere, circumspectionis gratia multipliciter insignivit, humeris tuis fortitudinis robur adiiciens, ut ad huiusmodi laudem sui nominis onera grandia supportares, plenam quoque de tuis meritis fiduciam obtinentes, ac etiam consideratione predicti Regis, super hoc humiliter supplicantis, et propter optatam huiusmodi subditorum

quietem et salutem animarum te in civitate, diocesi ac provincia Strigoniensi, nec non quibuslibet monasteriis, ecclesiis et locis, tibi ratione Archiepiscopatus ac ecclesie Strigoniensis quomodolibet subiectis, Primatem et Legatum Sedis Apostolice natum, quamdiu te eidem ecclesie Strigoniensi duntaxat presidere contingat, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine, tenore presentium, cum plenis, liberis, meris et omnimodis potestate ac iurisdictione et earum exercitio, Primatibus et Legatis natis competentibus de consvetudine et iure, constituimus; ita ut omnia et singula, que Primates et Legati nati huiusmodi duntaxat in civitatibus, diocesibus et provinciis et locis eius decretis seu subiectis, in quibus existunt Primates et Legati nati, ac in eorum incolas ac habitatores exercere de iure et consvetudine huiusmodi quomodolibet possunt, tu etiam in civitate, diocesi, provincia Strigoniensi, sic etiam monasteriis, ecclesiis et locis tibi subiectis, ut prefertur, in quoslibet, videlicet utriusque sexus homines, tam ecclesiasticos, non tamen Sedi Apostolice immediate subiectos, quam etiam alios et quoscumque alios, qui pro tempore in eadem civitate, diocesi ac provincia Strigoniensi, ac etiam monasteriis, ecclesiis et locis tibi subiectis, ut prefertur, moram traxerint aut degerint, libere et licite valeas exercere. Concesso tibi insuper authoritate apostolica contradictores et rebelles quoslibet per excommunicationis, suspensionis et interdicti, vel amotionis aut depositionis sententias, vel alias per ecclesiasticam censuram, appellatione postposita, compescendi . . . Nos enim sententias et penas, quas rite tuleris propter hoc in rebelles, ratas habebimus, et faciemus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Datum Rome apud Sanctum Petrum Octavo Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCLXXXI.

1394. 25. Aprilis

Georgio Johannis, Rectori Capellæ in ecclesia Quinqueecclesiensi, canonicatum in eadem ecclesia confert.

(Anni V. Liber IV. f. 112.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Quinqueecclesiensis salutem etc. . . . Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Quinqueecclesiensis, quas quondam Silvester Silvestri, ipsius ecclesie cano-

nicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Silvestri obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, vacaverint et vacare noscantur ad presens, nos volentes dilectum filium Georgium Johannis, Rectorem Capelle Omnium Sanctorum, site in dicta ecclesia, . . . favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem prefatum Georgium, qui presbyter est, ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quinquaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Georgius asserit, non excedunt, si, ut premittitur vacant, . . . eidem Georgio auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . Non obstantibus, quod . . . idem Georgius, ut asserit, Capellam predictam, cuius fructus . . . triginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt noscitur obtinere. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Maii Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCLXXXII.

1394. 25. Aprilis.

Amadæo Johannis, parocho in diœcesi Zagrabiensi, canonicatum in ecclesia Zagrabiensi confert.

Anni V Liber IV. f. 140 t.)

Bonifacius etc. Dilectis filiis Abbati Monasterii beate Marie Virginis et Preposito ac Archidiacono de Bexin ecclesie Zagrabiensis salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos dilectus filius Amadeus Johannis, Rector parochialis ecclesie Omnium Sanctorum de Moravcha, Zagrabiensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte ipsius Amadei petitio continebat, quod orta dudum inter dilectos filios Gregorium Pauli et Hinchkonem dictum Roch, presbyteros Quinqueecclesiensis et Pragensis diocesis, super canonicatu et prebenda ecclesie Zagrabiensis, quos tunc, per obitum quondam Blasii Lupi, canonici ecclesie predicte, extra Romanam Curiam defuncti, vacantes, Gregorius se vigore quarundam literarum apostolicarum, gratiose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra legitimum tempus acceptasse, et de eis sibi provisum, seque illos assecutum fuisse canonice, Hinchko vero predictus canonicatum et prebendam predictos

ad se de iure spectare asserebant, materia questionis, et causa huiusmodi in Palatio apostolico, coram certis auditoribus causarum dicti Palatii, ex commissionibus apostolicis, diutius ventilata, tandem prefatus Gregorius duas pro se et contra dictum Hinchkonem, per quas canonicatus et prebenda predicti Gregorio adiudicati, et super illis Hinchkoni prefato perpetuum silentium impositum extiterunt, et quarum, nulla provocatione suspensa, secunda in rem transivit iudicatam, sententias reportavit. Cum itaque, sicut accepimus, predicte canonicatus et prebenda, per liberam resignationem dicti Gregorii, per eum de illis, antequam vigore predictarum sententiarum eosdem assequeretur, ac omne ius sibi in eis, seu ad eos quomodolibet competens, extra eandem Curiam, coram certis Notario et testibus sponte et libere factam vacaverint et vacent ad presens, licet dictus Hinchko adhuc illos detineat indebite occupatos; nos igitur huiusmodi resignationem habentes ratam et gratam, ac dicto Amadeo, qui, ut asserit, ex utroque parente de nobili genere procreatus existit, . . . specialem gratiam facere volentes, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . si, vocatis dicto Hinchkone et aliis, qui fuerint evocandi, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quindecim marcharum argenti . . . valorem annuum, ut ipse Amadeus asserit, non excedunt, ut prefertur, vel alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona, vacare reppereritis, canonicatum et prebendam predictos . . . eidem Amadeo auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . Non obstantibus, . . . quod idem Amadeus, ut asserit, dictam parochialem ecclesiam, cuius fructus . . . octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, obtinet, et quod nos nuper sibi de dignitate, personatu vel officio, cum cura vel sine cura, in dicta Zagrabiensi ecclesia per alias nostras literas gratiose concessimus provideri . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Maii Anno Quinto.

CCXXXIII.

1394. 5. Maii.

Jacobo Gregorii de Temesvár, clerico Csanadiensi, canonicatum in ecclesia Orodiensi confert.

(Anni V. Liber IV. f. 189.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Patriarche Gradensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Gerardi Cenadiensis ac Custodi ecclesie Orodiensis, Cenadiensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos dilectus filius Jacobus Gregorii de Temeswar, clericus Cenadiensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie sancti Martini Orodiensis, dicte diocesis, quos quondam Ladislaus Jacobi de Temeswar, ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Ladislai obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacare noscantur ad presens, nos volentes dicto Jacobo . . . gratiam facere specialem, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . viginti florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Jacobus asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo . . . vacent, . . . eidem Jacobo . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis. Non obstantibus, . . . quod nuper eidem Jacobo, ut asserit, de parochiali ecclesia sancti Eligii de Temeswar, dicte diocesis, cuius fructus . . . quadraginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacante, et cuius possessionem nondum habet, gratiose concessimus provideri. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Nonas Maii Anno Quinto.

CCXXXIV.

1394. 15. Maii.

Nicolao Jacobi archidiaconatum de Ung confert.

(Anni V. Liber IV. f. 5.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao Jacobi de Rens, Archidiacono de Ung, salutem etc. Nobilitas generis, vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem omnes dignitates, personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica, cum cura et sine cura, tunc apud Sedem Apostolicam vacantia et inantea vacatura collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum archidiaconatus de Ung in ecclesia Agriensi, quem quondam Gregorius Demetrii, Archidiaconus de Ung, in dicta ecclesia, dum viveret, obtinebat, per ipsius Gregorii obitum, qui apud dictam Sedem decessit, apud Sedem ipsam vacaverit et vacet ad presens, . . . nos volentes tibi, qui, ut asseris, de nobili genere ex utroque parente procreatus existis, . . . gratiam facere specialem, teque in ecclesia predicta amplius honorari, archidiaconatum predictum, qui dignitas curata, non tamen maior post pontificalem in dicta ecclesia existit, et ad quem quis per electionem assumitur, cuiusque fructus . . . sexdecim marcharum argenti . . . valorem annuum, ut asseris, non excedunt, etiam si per assecutionem archidiaconatus Nitriensis in ecclesia Strigoniensi per dilectum filium Lucam Francisci de illo auctoritate apostolica factam, aut ex alterius cuiuscumque persone vacet, . . . tibi conferimus. Non obstantibus, . . . quod nuper tibi, ut asseris, de canonicatu sub expectatione prebende predicte ecclesie Agriensis gratiose concessimus provideri. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Maii Anno Quinto.

Simili modo. Venerabili Fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancte Marie Virginis de Sar, Agriensis diocesis, ac Thesaurario ecclesie Agriensis . . . Datum ut supra.

CCLXXXV.

1394. 25. Maii.

Dominico Dominici cantoriam in ecclesia Jauriensi confert.

(Anni V. Liber IV. f. 6.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Dominico Dominici, Canonico et Cantori, Succentori nuncupato, ecclesie Jauriensis, salutem etc. . . . Dudum siquidem omnes canonicatus et prebendas ac dignitates personatus et officia ceteraque beneficia ecclesiastica quorumcunque Succollectorum fructuum et proventuum apostolice Camere debitorum vacantia et in antea vacatura, collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam . . . contingeret attemptari. Cum itaque postmodum canonicatus et prebenda ac cantoratus, succentoria nuncupata, ecclesie Jauriensis, quas quondam Johannes Nicolai, dictus Pullus, ipsius ecclesie Canonicus et Cantor, Succentor nuncupatus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Johannis obitum qui huiusmodi fructuum et proventuum Succollector existens et dictos canonicatum . . . obtinens extra Romanam Curiam decessit, vacaverint et vacent ad presens, . . . nos volentes tibi, qui presbyter es, . . . gratiam facere specialem, teque in dicta ecclesia amplius honorare, dictos canonicatum et prebendam ac cantoratum, qui quidem cantoratus curatus aut dignitas vel personatus non est, et ad quem quis per electionem non assumitur, cuiusque ac dictorum canonicatus et prebende fructus . . . sedecim marcharum argenti puri . . . valorem annuum, ut asseris, non excedunt . . . tibi conferimus . . . Non obstantibus, . . . quod, ut asseris, altare sancte Margarete virginis et martiris, situm in ecclesia predicta, cuius fructus . . . vigintiquatuor florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, et auctoritate nostrarum litterarum canonicatum sub expectatione prebende dicte ecclesie nosceris obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presentium canonicatum et prebendam fueris pacifice assecutus predicte littere, per quas tibi de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie predicte providemus, ut prefertur, et processus habiti per easdem et quecunque inde secuta sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Octavo Kalendas Junii Anno Quinto.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis

Abbati Monasterii sancti Martini de Sacromonte Pannonie, Jauriensis diocesis, ac Preposito ecclesie sancti Adalberti Jauriensis . . . Datum ut supra.

CCLXXXVI.

1394. 25. Maii.

Nicolao dicto Gurin, canonico Pragensi, archidiaconatum Budensem confert.

(Anni V. Liber IV. f. 64 t)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Patriarche Gradensi et dilectis filiis sancti Petri de Veteribuda ac sancti Georgii de Viridicampo, Vesprimiensis et Strigoniensis diocesis, Prepositis ecclesiarum salutem etc. Litterarum scientia, vite ac morum honestas aliaque laudabilia probitatis et virtutum merita, super quibus apud nos dilectus filius Nicolaus dictus Gurin, canonicus ecclesie sancti Petri Wissegradensis, Pragensis diocesis, Magister in artibus, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, archidiaconatus Budensis in ecclesia Vesprimiensi, quam quondam Przivislaus, dictus Con, Archidiaconus Budensis in eadem ecclesia Vesprimiensi, dum viveret, obtinebat, per ipsius Przivislai obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, vacaverit et vacet ad presens, nos volentes eidem Nicolao, qui presbyter est, premissorum meritorum suorum intuitu, gratiam facere specialem, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . dictum archidiaconatum, qui curatus et dignitas, non tamen maior post pontificalem, in dicta ecclesia Vesprimiensi existit, cuiusque fructus . . . trigintaquinque marcharum argenti puri . . . valorem annuum, ut ipse Nicolaus asserit, non excedunt, . . . auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . Non obstantibus, . . . quod dictus Nicolaus, ut asserit, in canonicum predicte ecclesie sancti Petri auctoritate ordinaria fuit receptus, et nos dudum sibi de beneficio ecclesiastico cum cura vel sine cura, ad collationem . . . Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Pragensis pertinente gratiose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum prefatus Nicolaus vigore presentium eiusdem archidiaconatus possessionem fuerit pacificam assecutus, predicta concessionis gratia et quecumque inde secuta, quoad curatum beneficium dumtaxat, sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Octavo Kalendas Junii Anno Quinto.

CCLXXXVII.

1394. 27. Maii.

Michaeli Jacobi, Rectori ecclesiæ in Muraszombat, cantoriam in ecclesia Jauriensi confert.

(Anni V. Liber IV. f. 16.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancti Martini Sacrimontis Pannonie, Jauriensis diocesis, salutem etc. . . . Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda nec non cantoratus ecclesie Jauriensis, quos quondam Johannes Nicolai ipsius ecclesie Canonicus et Cantor, dum viveret, obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacare noscantur ad presens, nos volentes dilectum filium Michaelem Jacobi, Rectorem curate ecclesie sancti Nicolai de Murasombatha, Jauriensis diocesis, . . . favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si dictus cantoratus curatus aut dignitas vel personatus existat et . . . dictum Michaelem ydoneum ad dictos canonicatum et prebendam ac cantoriam obtinendum esse reppereris, . . . Cantoratum, etiam si curatus et dignitas maior post pontificalem in eadem Jauriensi ecclesia existat, et ad eum consueverit quis per electionem assumi, necnon canonicatum et prebendam predictos, et si forsan ita esse non inveneris, dictusque cantoratus curatus vel dignitas aut personatus non sit idemque Michael non bene cantet, . . . dummodo ipsum alias . . . ad hoc ydoneum esse reppereris, etiam canonicatum et prebendam ac cantoratum predictos, . . . quorum . . . fructus . . . centum florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Michael asserit, non excedunt, . . . prefato Michaeli . . . conferre et assignare procures. . . . Non obstantibus, . . . quod dictus Michael prefatam ecclesiam curatam, cuius fructus . . . quinquaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse asserit, non excedunt, noscitur obtinere. Volumus autem, quod si dictus cantoratus curatus vel dignitas aut personatus existat, quamprimum ipse Michael vigore presentium eiusdem cantoratus fuerit possessionem pacificum assecutus, dictam ecclesiam, quam, ut prefertur, obtinet, et quam ex tunc vacare decernimus, omnino dimittere teneatur. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Kalendas Junii Anno Quinto.

CCLXXXVIII.

1394. 29. Maii.

Johanni de Pozsega, Rectori altaris in ecclesia Waradiensi, rectoratum Capellæ s. Catherinæ in eadem ecclesia confert.

(Anni I. Liber XLI. f. 177 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie beate Marie Virginis in Castro Waradiensi salutem etc. . . . Cum itaque in fundatione Capelle sancte Catherine, site in ecclesia Waradiensi, extitit canonice ordinatum, ut per sacerdotem tantummodo regeretur, et si aliquando conferretur non sacerdoti, huiusmodi non sacerdos teneretur infra annum, a tempore assecutionis ipsius, ad sacerdotium se facere promoveri, alioquin Capella predicta vacare censeretur ipso facto; et sicut accepimus Capella ipsa ex eo vacaverit et vacet ad presens, quod dilectus filius Dominicus Galli, olim ipsius Capelle Rector, Capellam huiusmodi tunc vacantem canonice sibi collatam assecutus, ac illam per triennium et ultra pacifice possidens, se non fecit, cessante impedimento legitimo, nullaque super hoc canonica dispensatione obtenta, ad sacerdotium promoveri; nos, volentes dilectum filium Johannem de Posega, Rectorem altaris sancti Stephani Regis siti in eadem ecclesia, qui presbyter . . . est, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si vocatis dicto Dominico, qui dictam Capellam adhuc detinet, et aliis qui fuerint evocandi, Capellam ipsam, premisso vel alio quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona vel per assecutionem alterius beneficii ecclesiastici, apostolica auctoritate collati, vacare, et per diligentem examinationem dictum Johannem ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, Capellam prefatam, que sine cura est, cuiusque fructus, redditus et proventus sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Johannes asserit, non excedunt, . . . eidem Johanni . . . conferas . . . Non obstantibus, . . . quod idem Johannes altare predictum noscitur obtinere. Volumus autem, quod prefatus Johannes, quamprimum vigore presentium Capelle huiusmodi fuerit possessionem pacifice assecutus, altare predictum, quod, ut prefertur, obtinet, quodque ex tunc vacare decernimus, omnino, prout ad id sponte se obtulit, dimittere teneatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Kalendas Junii Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCLXXXIX.

1394. 3. Junii.

Archiepiscopum Neopactensem ad Dalmatiæ, Croatiæ, Bosniæ et Slavoniæ regna Nuntium, Apostolicum destinando eidem iniungit, ut fideles ad prosequendam contra Antipapæ fautores Romanæ ecclesiæ causam inducere studeat.

(Regest. Bullarum. Vol. 314. l. 59.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Neopatensi Apostolice Sedis Nuncio, salutem etc. Notorium est ubique, et utinam etiam degentes in extremis infidelium nationibus ignorarent, ne tam longe lateque apud infideles ipsos christianorum gesta ludibrio haberentur, quam protervis et obstinatis ausibus scismatici et heretici, fautores videlicet et sequaces perditionis alumni, Roberti, olim Basilice duodecim Apostolorum presbyteri Cardinalis, nunc Antipape, Regnum Sicilie ac terram citra Farum, que Romane ecclesie iuris et proprietatis existunt, et etiam nonnullas civitates ac terras, eidem ecclesie immediate subiectas, invadere, occupare et occupata detinere moliti sint hactenus, et etiam totis viribus moliantur; propter quod nos, quorum maxime interest fideles protegere et roborare, scismaticos et hereticos prefatos eorumque conatus reprimere et elidere et alias in premissis salubriter providere, cum in hiis agatur causa Dei, adversus eosdem scismaticos et hereticos in virtute Altissimi insurgere et ad ipsam prosecutionem Christi fideles, principes videlicet, proceres, magnates et inferiores personas decrevimus excitare. Et eam ob rem causam ipsam devote suscipientes de thesauro sacrosancte Romane ac universalis ecclesie et pretiosi sanguinis domini nostri Jesu Christi et Apostolorum et martirum, quorum patrociniis gloriamur, ditari, et spiritualium gratiarum muneribus confovere cupientes, ut omnibus proficiant ad salutem, et eandem causam eo ferventius prosequantur, quo exinde maioris retributionis merita se speraverint adepturos: de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui contra predictos scismaticos et hereticos in personis et sumptibus propriis, nec non hiis, qui in personis propriis, alienis tamen expensis in prosecutione tam pii operis per tempus, de quo tibi expedire videbitur, laborabunt, tam clericis, quam laicis, et hiis insuper, qui suis dumtaxat expensis iuxta suarum exigentiam facultatum alios destinabunt, seu ad id a te deputandis sufficientia subsidia ministrabunt, ut pro

eis destinari possint persone ad ipsam prosecutionem ydonee, per dictum tempus morature et laborature ibidem, ecclesie videlicet sequendo vexillum, illam concedimus indulgentiam et veniam peccatorum, que concedi per Sedem Apostolicam proficiscentibus in Terre Sancte subsidium consvevit et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eos autem, qui non per integrum tempus huiusmodi, sed per ipsius temporis partem in huiusmodi Dei servitio laborabunt, iuxta quantitatem laboris et devotionis affectum, participes esse volumus indulgentie memorate. Quod si forsan aliquos eorum post iter arreptum in prosecutione dicti negotii ex hac luce migrare contigerit, vel interim negotium ipsum congrua terminatione complere, eos integre participes esse volumus indulgentie supradicte huiusmodi. Etiam indulgentie volumus esse participes iuxta quantitatem subsidii et devotionis affectum omnes, qui ad prosecutionem cause predicte de bonis suis huiusmodi a te deputatis cum orationum frequentia ministrabunt. Cum autem te, qui ordinis etiam fratrum Predicatorum professor existis, pro quibusdam ordinis negotiis ad Dalmatie, Croatie, Bozne et Sclavonie Regna presentialiter destinemus, Fraternitatem tuam attente requirimus et monemus, tibi nihilominus districte precipiendo mandantes, quatenus per te vel alios ad hoc ydoneos in ecclesiis et locis in eisdem Dalmatie, Croatie, Bozne et Sclavonie Regnis consistentibus, de quibus eis prout et tibi videbitur, diebus Dominicis et festivis premissa solempniter publicando et exponendo, ac per alios, quos ad hoc deputaveris publicari et exponi faciendo, ut melius et clarius intelligatur ab omnibus etiam in vulgari, Principes, proceres, magnates et personas supradictas ac alios Christi fideles instantius et efficacius per verbum predicationis et alias, prout expediens fuerit, inducere studeas, ut suscipientes cum reverentia per manus tuas vel aliorum, per te ad hoc deputatorum, venerabile signum Crucis, illudque suis humeris et cordibus affigentes, ad prosequendum huiusmodi causam ac fidei et Romane ecclesie, matris eorum, viriliter se accingant. Nos insuper dilectum filium Basilium de Troisio, Canonicum Idrontinum, eorum, que pro subsidio cause huiusmodi fuerint quomodolibet erogata, Collectorem harum serie deputamus. Volumus autem, quod illa, que propterea quomodolibet recepta fuerint, ad usum prosecutionis huiusmodi integre et fideliter convertantur. Presentibus post annum minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Nonas Junii Pontificatus etc. Anno Quinto.

Duplicata de Curia.

F. de Lanzis. S. Martius.

CCXC.

1394. 16. Junii.

Gregorio Ladislai canonicatum in ecclesia Strigoniensi confert.

(Anni V. Liber XLIX. f. 10 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Gregorio Ladislai, canonico Strigoniensi, salutem etc. . . . Volentes itaque tibi, qui presbyter es, premissorum meritorum tuorum intuitu, gratiam facere specialem, canonicatum ecclesie Strigoniensis . . . tibi conferimus. Non obstantibus, . . . quod parochialem ecclesiam beate Marie Magdalene de Novocastro Montispestiensis, Vesprimientis diocesis, nosceris obtinere. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sextodecimo Kalendas Julii Anno Quinto.

Simili modo. Venerabilibus fratribus Tudensi et Waciensi Episcopis ac dilecto filio Preposito ecclesie sancti Thome de Promontorio Strigoniensi. . . . Datum ut supra.

CCXCI.

1394. 21. Junii.

Institutionis ac dotationis præposituræ Collegiatæ S. Stephani Protomatryris Strigoniensis confirmationem, sub nonnullis conditionibus, Episcopo Vesprimiensi committit.

(Originale in Tabulario Primatiali Strigoniensi. Apud Fejér. Codex Diplom. Tom. X. Vol. II. p. 196—9.)

Bonifacius . . . Venerabili fratri Episcopo Vesprimiensi salutem . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte Venerabilis fratris nostri Johannis Archiepiscopi Strigoniensis petitio continebat, quod olim ipse, cupiens terrena in coelestia, et transitoria in eterna felici commercio commutare, ac huiusmodi cultum in Capella sancti Stephani Prothomartyris in castro Strigoniensi suis temporibus adaugeri, de voluntate, consensu et assensu dilectorum filiorum Capituli sue Strigoniensis ecclesie, capellam ipsam in Collegiatam ecclesiam auctoritate ordinaria erexit, ipsasque prepposituram et canonicatus ac prebendas de quibusdam ad mensam suam Archiepiscopalem Strigoniensem ac nonnullis ad eum sue persone ratione et certis aliis ad nonnullas parochiales ecclesias, in diocesi Strigoniensi consistentes,

legitime pertinentibus decimis et bonis sufficienter dotavit, ipsique prepositure canonicatum et prebendam dicte Strigoniensis ecclesie, quos dilectus filius Martinus Magnus, quem in Prepositum dicte nove ecclesie predicta authoritate instituit, tunc temporis obtinebat, prout obtinet, in perpetuum univit, annexit et incorporavit, ac voluit, quod perpetuo Prepositus dicte ecclesie nove, qui pro tempore esset, canonicus Strigoniensis censeretur, ac inter alia collationem, provisionem ac omnimodam dispositionem prepositure ac canonicatuum et prebendarum predictarum sibi et successoribus suis Archiepiscopis Strigoniensibus, pro tempore existentibus, in perpetuum reservavit, ac nihilominus statuit et etiam ordinavit, quod Prepositus et canonici dicte nove ecclesie, qui pro tempore essent, continuam ibidem residentiam facere tenerentur, et quod si aliquis canonicorum per unum mensem continuum, sine speciali licentia dicti Prepositi ab eadem ecclesia nova se absentaret, elapso mense huiusmodi suis canonicatu et prebenda eiusdem nove ecclesie esset ipso facto privatus. Ordinavit insuper, quod idem Prepositus et canonici tali hora in dicta nova ecclesia missam et alia divina officia decantarent, quod postea misse et vesperis in dicta ecclesia Strigoniensi peragendis possent interesse, ad quod ipsos Prepositum et canonicos observandum obligari voluit et teneri. Et insuper nonnulla alia ordinationis statuta per Prepositum et canonicos predictos perpetuo servari statuit et etiam ordinavit, prout in instrumento publico, dictorum Archiepiscopo et Capituli sigillis munito, cuius tenorem in cancellaria nostra diligenter inspici fecimus, dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Archiepiscopi nobis fuit humiliter supplicatum, ut erectioni, dotationi, unioni, annexioni et incorporationi, necnon per eum circa premissa statutis et ordinatis, ac omnibus et singulis in eodem instrumento contentis, robur apostolice confirmationis adiicere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum nostris temporibus adaugeri intensis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, Fraternitate tue, . . . mandamus, quatenus, si prefatus Archiepiscopus infra annum tantum de bonis suis propriis, quantum de iisdem mense bonis, sive decimis ad eam pertinentibus pro dictorum Prepositi et canonicorum et prebendarum dote, ut premittitur, assignavit, prefate mense restituere voluerit, et cum effectu restituet, erectionem, dotationem, unionem, annexionem et incorporationem, necnon ordinationes et statuta predicta, ac omnia alia et singula in eodem instrumento contenta, iure tamen Strigoniensis et parochiarum predictarum, quam aliarum quarumlibet ecclesiarum in omnibus salvo, authoritate nostra confirmes et eadem authoritate facias inviolabiliter

observari; supplens nihilominus omnes defectus, si que intervenerint in premissis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Undecimo Kalendas Julii Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCXCII.

1394. 26. Junii.

Johanni Mumch clerico Transsilvano canonicatum in ecclesia Transsilvana confert.

(Anni V. Liber IV. f. 226.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Eugubino et dilectis filiis Abbati Monasterii beate Marie de Clwsmonostora, Transilvane diocesis, ac Preposito ecclesie Transilvane salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos dilectus filius Johannis Mumch, clericus Transilvane diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Transilvane, quos quondam Johannes de Luczoneto, ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Johannis obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, vacaverint et vacare noscantur ad presens, nos volentes dicto Johanni Munch, premissorum meritorum suorum intuitu, nec non consideratione Venerabilis fratris nostri Philippi Episcopi Ostiensis, pro ipso Johanne dilecto familiari suo, domestico, continuo commensali, nobis super hoc humiliter supplicantis, gratiam facere specialem, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quindecim marcharum argenti . . . valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, sive ut premittitur, sive alio quovis modo . . . vacent . . . eidem Johanni . . . conferre et assignare curetis. Non obstantibus, . . . quod nuper eidem Johanni, ut asseritur, de cantoria ecclesie predicte, que dignitas sine cura est, cuiusque fructus . . . vigintiquatuor marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, tunc certo modo vacatura, gratiose concessimus provideri. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Kalendas Julii Anno Quinto.

CCXCIII.

1394. 2. Julii.

Fabiano Pauli, canonico Orodiensi, canonicatum in ecclesia Csanadiensi et archidiaconatum Orodiensem confert.

(Anni V. Liber IV. f. 15.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Segobiensi et dilectis filiis Abbati Monasterii beate Virginis ac Preposito ecclesie sancti Salvatoris Cenadiensis salutem etc. . . . Vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos dilectus filius Fabianus Pauli, canonicus ecclesie sancti Martini Orodiensis, Cenadiensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Cenadiensis, nec non archidiaconatus Orodiensis in eadem ecclesia Cenadiensi, quos quandam Bertrandus Ragri, ipsius ecclesie Cenadiensis Canonicus et Archidiaconus Orodiensis, in eadem ecclesia Cenadiensi, dum viveret, obtinebat, per ipsius Bertrandi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverint et vacent ad presens, Nos volentes dicto Fabiano . . . gratiam facere specialem, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . dictos canonicatum et prebendam ac archidiaconatum, qui quidem archidiaconatus dignitas curata, non tamen maior post pontificalem in eadem ecclesia Cenadiensi existit, et ad quem quis per electionem non assumitur, ac quorum fructus . . . vigintinovem marcharum argenti . . . valorem annuum, ut idem Fabianus asserit, non excedunt, eidem Fabiano . . . conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, . . . quod idem Fabianus, ut asseritur, in sancti Martini ac in Cenadiensi predictis sub expectationibus prebendarum nec non dignitatis, vel personatus, seu officii in eadem Cenadiensi ecclesiis auctoritate diversarum litterarum nostrarum canonicatus noscitur obtinere. Volumus autem, prout idem Fabianus id sponte voluit, quod quamprimum ipse vigore presentium canonicatum et prebendam ac archidiaconatum eosdem per nos sibi collatos, ut prefertur, fuerit pacifice assecutus, predicte littere, per quas canonicatum ipsius ecclesie Cenadiensis obtinens prebendam ac dignitatem, personatum, vel officium inibi expectabat, ut prefertur, et processus habiti per easdem et quecumque inde secuta sint cassa et irrita ac nullius roboris vel momenti. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Nonas Julii Anno Quinto.

CCXCIV.

1394. 14. Augusti.

Michaeli Andreæ, Rectori altaris in ecclesia Transsilvana, canonicatum in eadem ecclesia confert.

(Anni V. Liber IV. f. 209 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Transilvane salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos dilectus filius Michael Andree, Rector altaris sancte Andree, siti in ecclesia Transilvana, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Michaelis petitio continebat, quod Michael Pauli, canonicus Transilvanus, publicus imperiali auctoritate notarius, sue fame prodigus, quoddam falsum publicum instrumentum confecit, et aliquibus aliis talia facientibus prestitit consilium et favorem. Nos igitur attendentes, quod, veris existentibus supradictis, prefatus Michael Pauli canonicatu et prebenda, quos in dicta ecclesia tunc temporis obtinebat, prout obtinet, reddidit se indignum, ac volentes prefato Michaeli Andree, qui presbyter est, . . . gratiam facere specialem, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si idem Michael Andree in forma iuris se inscribere et dictum Michaelem Pauli super premissis accusare voluerit, ac de facto se inscripserit et eumdem Michaelem Pauli coram te accusaverit de premissis, vocatis dicto Michaele Pauli et aliis, qui fuerint evocandi, et auditis hinc inde propositis, quod iustum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens, quod decreveris, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Et nihilominus, si per te eundem Michaelem Pauli prefatis canonicatu et prebenda sententialiter privari et ab eis amoveri contigerit, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Michael Andree asserit, non excedunt, cum illos per huiusmodi privationem et amotionem vacare contigerit, etiam si actu alias quovis modo, seu per liberam resignationem alicuius, per eum de illis apud Sedem Apostolicam in manibus ad id potestatem habentis sponte factam et per eundem huiusmodi potestatem habentem apud dictam Sedem admissam vacent, etiam si canonicatus et prebenda predicti dispositioni apostolice specialiter reservati existant, . . . eidem Michaeli Andree auctoritate nostra conferre et assignare procures. . . . Non obstantibus, . . . quod idem Michael Andree altare pre-

dictum, cuius fructus . . . triginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse asserit, non excedunt, noscitur obtinere, . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimonono Kalendas Septembris Anno Quinto.

CCXCV.

1394. 27. Augusti.

Petro Nicolai, clerico Agriensi, canonicatum in ecclesia Agriensi confert.

(Anni V. Liber IV. f. 179 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Waciensi salutem etc. . . . Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Agriensis, quos quondam Stephanus Michaelis, ipsius ecclesie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Stephani obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, vacent ad presens, et tanto tempore vacaverint, quod eorum collatio iuxta Lateranensis statuta Concilii est ad Sedem predictam legitime devoluta, Nos volentes dilectum filium Petrum Nicolai, clericum Agriensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate . . . multipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si est ita, et per diligentem examinationem prefatum Petrum ad hoc ydoneum esse reppereris, super quo tuam conscientiam oneramus, canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Petrus asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo . . . vacent, . . . eidem Petro, auctoritate nostra, conferas et assignes. . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Kalendas Septembris Anno Quinto.

CCXCVI.

1394. 28. Augusti.

Paulo Nicolai de Zala, canonico Scepusiensi, custodiam in ecclesia Colocensi confert.

(Anni IV. Liber —. f. 5.)

Bonifacius episcopus servus servorum Dei. Dilecto filio Cantori ecclesie Strigoniensis salutem . . . Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ac custodia ecclesie Colocensis, quos dilectus filius Gallus Nigri, frater domus fratrum sancti Pauli primi heremite sancti Laurentii, ordinis sancti Augustini, Vesprimiensis diocesis, tunc temporis obtinebat, ex eo vacaverint et vacent ad presens, quod dictus Gallus in dicta domo receptus . . . regularem expresse emisit professionem; Nos volentes dilectum filium Paulum Nicolai de Zala, canonicum ecclesie sancti Martini de Scepus, Strigoniensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate . . . commendatum, horum intuitu, necnon consideratione . . . Sigismundi Regis Ungarie Illustris pro dicto Paulo, dilecto suo . . . supplicantis, favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si . . . ipsum Paulum . . . ydoneum esse reppereris, . . . canonicatum et prebendam ac custodiam, quorum fructus . . . vigintiquinque marcharum argenti . . . valorem annuum . . . non excedunt, . . . conferas . . . Non obstantibus, quod prefatus Paulus canonicatum et prebendam ecclesie sancti Martini predicte, cuius fructus . . . quadraginta florenorum auri . . . annuum valorem . . . non excedunt, noscitur obtinere. Datum Assisii Quinto Kalendas Septembris Pontificatus nostri Anno Quinto.

CCXCVII.

1394. 27. Augusti.

Antonio Petri, presbytero Agriensi, rectoratum altaris s. Martini in ecclesia Agriensi confert.

(Anni I. Liber XLI. f. 168 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Waciensi salutem etc. . . . Dudum siquidem omnia beneficia ecclesiastica quorumcumque Collectorum

et Succollectorum fructuum et proventuum Camere apostolice debitorum tunc vacantia et in antea vacatura collationi et dispositioni nostre reservantes, decrevimus ex tunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari; postmodum vero altari sancti Martini, sito in ecclesia Agriensi, quod quondam Johannes Kuspul, ipsius altaris Rector, Magister nuncupatus, dum viveret, obtinebat, per obitum ipsius Johannis, qui huiusmodi fructuum et proventuum in civitate et diocesi Agriensi eidem Camere debitorum Succollector existens extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Anthonii Petri, presbyteri Agriensis, petitio continebat, Venerabilis frater noster Stephanus Episcopus Agriensis, reservationis et decreti predictorum forsan ignarus, altare predictum sic vacans prefato Anthonio huiusmodi, reservationem et decretum similiter ignoranti, auctoritate ordinaria contulit et providit etiam de eodem, licet de facto. Cum autem collatio et provisio predicte viribus non subsistant, et dictum altare adhuc secundum premissa vacare noscatur, nullusque de illo preter nos hac vice disponere potuerit neque possit, . . . Nos volentes eundem Anthonium, . . . pro quo etiam idem Episcopus, asserens eum dilectum suum fore, nobis super hoc humiliter supplicavit, horum intuitu, favore prosequi gratioso, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem eundem Anthonium ad hoc ydoneum esse repperеris, super quo tuam conscientiam oneramus, dictum altare, quod sine cura est, cuiusque fructus, redditus et proventus decem florenorum auri . . . valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, sic vacans . . . eidem Anthonio . . . conferas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Kalendas Septembris Anno Quinto.

CCXCVIII.

1394. 10. Septembris.

Archiepiscopo Strigoniensi contra occupatores et detentores bonorum suorum protectores constituit.

(Anni III. Liber —. f. 330.)

Bonifacius etc. Dilectis filiis Abbati — Strigoniensis diocesis, et Preposito — — ac Archidiacono Goricensi, Zagrabiensis diocesis, salutem . . . Sane Venerabilis fratris nostri Archiepiscopi Strigoniensis conquestione per-

cepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcópi aliique ecclesiarum Prelati et clerici ac ecclesiastice persone, tam religiose, quam seculares, necnon duces, marchiones, comites, barones, milites et laici, comunia, civitates et universitates opidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum, et alie singulares persone civitatum, diocesium et aliarum partium universarum occuparunt et occupari fecerunt castra, villas et alia loca terrarum, possessiones, iura et iurisdictiones, necnon fructus, census, redditus et proventus ad mensam suam archiepiscopatus Strigoniensis spectantia et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia ad archiepiscopatum et mensam predictos spectantia, et ea detinent occupata, seu ea detinentibus prestant auxilium consilium et favorem etc. Presentibus post decennium minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Idus Septembris Anno Quinto.

CCXCIX.

1394. 15. Octobris.

Johanni Dominici de Eugubio, ordinis Prædicatorum Professori, committit, ut in ducatu Austriæ, fideles ad expugnationem Turcharum inducere studeat.

(Regestr. Bullarum. Vol. 314. f. 300.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Dominici Eugubio, ordinis Predicatorum professori et in sacra theologia Magistro, salutem etc. Admonet nos ille celestis agricola, qui vineam suam nobis de sua solita benignitate commisit, ut succrescentes in ea non solum nocivas, sed etiam infructuosas arbores evellamus, omnem arborem, que fructum non faciet, abscindendam et in ignem mittendam vocis sue attestatione confirmans; ad memoriamque reducit, quod Unigenitus Dei Filius de sinu Patris in uterum dignatus est descendere matris, in qua et ex qua nostre mortalitatis substantiam divinitati sue ineffabili unione coniunxit, quod non erat, assumens, ut haberet, unde hominem lapsum redimeret et satisfaceret Deo Patri. Ipse namque sui ipsius agni immaculati pretioso sanguine nos redemit, cum in ara crucis innocens est immolatus, exinde inconsumptibilem thesaurum militanti ecclesie acquisivit, volens suis thesaurisare filiis pius pater. Quem quidem thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per beatum Petrum, celi clavigerum, eiusque successores in terris commisit fidelibus salubriter dispensandum, et nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pene temporalis, pro peccatis debite, tam

generaliter, quam specialiter, prout cum Deo expedire cognoscerent, vere penitentibus et confessis misericorditer applicandum. Nuper siquidem ad apostolatus nostri aures, nonnullorum fidelium populorum vehemens et amara valde querela pervenit, quod nonnullas christianitatis partes invasit nephanda ac horrenda infidelium, Turchorum videlicet, multitudo, qui Deo mortui mundo vivunt, et in quibus tepescentibus membris sola incalescit scelerum flamma et sola incentiva bulliunt vitiorum, ut vineam Domini Sabaoth valeant demoliri, ac aliis locare agricolis et inficere greges eius, et quod gravius est, dicunt adversus fideles ipsos, quod scribitur: vadamus et disperdamus eos de gente et non memorabitur nomen Israel amplius, et possideamus nobis sanctuarium Dei. O dampnationis et ire filii, o perditionis et calamitatis alumpni, o semen Canaan, semen nequam. Exurgat Deus, et suos dissipet inimicos. Exurgat et veniat, ut populum suum suscitet in confusione predictorum inveteratorum malorum, et angelum suum, qui eos scindat secetque per medium, de alto solio suo mittat. Veniat populus Israel et David rursus et leonem et ursum, de grege Domini arietes tollentes, occidat, et spurios ipsos in frontibus impudicitie ipsorum percutiat, ita quod in facies suas cadant. Consurgant insuper Christi milites ecclesie, filii atlete catholice fidei, peregrinas lustrantes provincias, maria transeuntes, et regiones extraneas peragrantes, pro fidei dilatatione et defensione prefate. Vociferat insuper ullulando anxia querela prefata patrocinia summi patris, et dicat: Domine salva nos perimus; parique voce: Sucurre princeps fidelibus, et provide filiis pie pater. Sparge rorem tue gratie supplicanti, quoniam tenebre cooperuerunt terram et caligo invasit populos antedictos, et velut errantes oves pastoris destitute custodia luporum crudelium timent insidias, et a rugientium leonum faucibus absorbere pavescunt. Decet ergo nimium, quod populus, qui ambulat in tenebris et habitat in regione umbre mortis, videat mundi luminaria. Excita potentiam altissimi tui troni, et effunde super infideles ipsos iram tuam, et indignatio ire tue apprehendat eos, ut fiat habitatio eorum deserta et in tabernaculis ipsorum non sit qui inhabitet. Nos igitur, qui ad gerendum in ecclesia Dei apostolatus ministerium, licet indigne, vocati sumus, pro extirpanda et evellenda rabie predictorum perfidorum Thurcorum, et pro excitanda et remuneranda donatione fidelium, inconsumptibilem thesaurum huiusmodi, de fratrum nostrorum consilio et apostolice plenitudine potestatis, decrevimus aperire, ut cesset murmuratio fidelium populorum, ipsorumque augeatur devotio, fides splendeat, et caritas vehementius incalescat. Porro quia in Christi hostium exterminio predictorum credimus firmiter Dei negotium

promovere, ad favorabilem executionem illius verbum vivifice crucis, de dictorum fratrum consilio, Christi fidelibus decrevimus proponendum. Ideoque tibi per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus per te, vel alium, seu alios verbum huiusmodi in Ducatu Austrie et in aliis civitatibus, opidis, terris et locis quibuscunque qualitercunque subiectis Dilecto filio nobili viro Alberto Duci Austriæ et in Marchia Tervisina, fidelibus ipsis proponere, ac eos, quos ad negotii executionem huiusmodi ydoneos fore putaveris, ut venerabile signum crucis huiusmodi debita reverentia eorum imprimentes cordibus et humeris affigentes, ad expugnationem predictorum perfidorum Turchorum, hostium crucis Christi, viriliter se accingant, per verbum predicationis, et alias, prout expediens extiterit, solerter et salubriter inducere non postpona. Nos enim, ut negotium ipsum fideles ipsi eo libentius prosequantur, quo maiora exinde speraverint se premia adepturos, de omnipotentis Dei misericordia et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, eius auctoritate confisi, omnibus vere penitentibus et confessis, qui huiusmodi assumpto mirifice crucis signo, infideles ipsos et perfidos Thurcos, Dei hostes et ecclesie memorate, ac fautores et receptatores eorum, et illos, qui eos imposterum receptabunt aut favebunt eisdem, in personis et sumptibus propriis expugnabunt et super hoc per annum, incipiendum a die, de quo tu duxeris ordinandum, continuum, vel interpollatim infra biennium, extunc complendum, laborabunt, ecclesie sequendo vexillum, tam clericis quam laicis, et eis insuper, qui tibi, seu alteri per te ad hoc deputando, ministrabunt sufficientia stipendia, ut destinare valeas ydoneos bellatores, per dictum tempus moraturos et bellaturos ibidem, illam plenissimam concedimus veniam et remissionem peccatorum, que per Sedem Apostolicam consuevit concedi proficiscentibus in subsidium Terre Sancte et in retributione iustorum salutis eterne pollicemur augmentum. Eos autem, qui non per annum integrum, sed pro ipsius anni parte in huiusmodi Dei servitio forsitan laborabunt, aut prefata stipendia ministrabunt, iuxta quantitatem subsidii ac laboris et devotionis affectum, participes esse volumus indulgentie memorate. Quod si forsan ipsorum aliquos, post iter arreptum, in prosecutione dicti negotii ex hac luce migrare contigerit, vel interim negotium ipsum congrua terminatione complere, eos integre participes esse volumus indulgentie memorate. Tuque huiusmodi predicationis officium, pro divina et dicte Sedis ac nostra reverentia, devote suscipiens, sic solicite exequaris fideliter et prudenter, quod de tuis studiosis laboribus, celesti favente clementia, optati fructus proveniant, ut speramus.

Presentibus post unum annum minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Octobris Pontificatus nosri Anno Quinto.

P. de Bosco. Duplicata de Curia.
Jo. de Pempelvoirde.

CCC.

1394. 15. Octobris.

Johanni de Eugubio, ad ducatum Austriæ destinato Nuntio Apostolico, facultatem concedit, ut fideles contra Turchas bellaturos ad restitutionem incertæ personæ obligatos absolvere possit.

(Regest. Bullarum. Vol. 314. f. 302 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Dominici de Eugubio, ordinis Predicatorum professori et in sacra theologia Magistro, salutem etc. De fidelitatis tue, quam ad nos et Romanam ecclesiam gerere dinosceris industria, specialem in Domino fiduciam obtinentes, illa tibi libenter concedimus, per que te possis aliis reddere gratiosum. Cum igitur te ad Ducatum Austrie ac ad civitates, opida, terras et loca dilecto filio nobili viro Alberto Duci Austrie qualitercunque subiecta, necnon ad partes Marchie Tervisine presentialiter destinemus, predicaturum per partes easdem verbum vivifice crucis contra perfidos Turchos et alios infideles, concessa tibi plenaria potestate concedendi omnibus Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui contra eosdem Turchos et infideles bellaturi se accinxerint, illam generalem veniam peccatorum, que per Sedem Apostolicam consuevit concedi proficiscentibus in subsidium Terre Sancte, sub certis modo et forma, prout in nostris literis inde confectis plenius et latius continetur; Nos volentes, quod Christifideles eo facilius consequi valeant indulgentiam memoratam, quo maiori per nos fueris auctoritate munitus, Discretioni tue componendi cum fidelibus ipsis, per te, vel alium, seu alios, de et super quibuscumque usuris et male ablatis incertis, de quibus non constaret, quibus personis usurarum et male ablatorum huiusmodi esset restitutio facienda, et fideles ipsos, cum quibus composueris, dumtaxat ab ipsis usuris et male ablatis absolvendi concedimus auctoritate apostolica tenore presentium plenariam potestatem. Presentibus post unum annum minime valituris. Tu igitur premissa iuxta datam tibi a Deo prudentiam ita diligenter et fideliter exequaris, quod illam glorie palmam, que pias causas agentibus celesti retributione impenditur, feliciter consequi

merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Octobris Pontificatus nostri Anno Quinto.

P. de Bosco. Duplicata de Curia.
Jo. de Pempelvoirde.

CCCI.

1394. 15. Octobris.

Prælatis et ecclesiasticis personis in ducatu Austriæ iniungit, ut Johannem de Eugubio Nuntium Apostolicum honorifice exctpiant.

(Regest. Bullarum. Vol. 314. f. 302.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Dominici de Eugubio, ordinis Predicatorum professori et in sacra theologia Magistro, salutem etc. Cum te ad nonnullos Alamanie et alias partes et maxime Ducatus Austrie et Marchie Tervisine et nonnullorum aliorum locorum, pro nonnullis nostris et Romane ecclesie negotiis exequendis, et potissime ad predicandum verbum sanctissime crucis contra perfidos Turchos et alios infideles, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur, presentialiter destinemus, Nos, ut negotia per Nos tibi commissa favorabiliter exequi valeas et plenarie adimplere, Discretioni tue precipiendi et mandandi, auctoritate nostra, Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis ac dilectis filiis Clericis, Abbatibus, Prioribus, Prepositis, Archidiaconis ac Decanis et aliis ecclesiarum et monasteriorum Prelatis ac Rectoribus quibuscunque, exemptis et non exemptis, quibus nos etiam tenore presentium precipimus et mandamus, quatenus, cum te, vel per te destinandos, pro executione premissorum ad ipsorum loca accedere contigerit, te et per te destinandos huiusmodi, ob reverentiam nostram et Apostolice Sedis, benigne et honorifice recipiant, et caritative pertractent, et clerum ac populum eis commissum faciant publice et solempniter congregare, tociens quocies per te, seu destinandos per te, super hoc fuerint requisiti; ita, quod negotia per nos tibi commissa coram clero et populo supradictis clare et dilucide valeas publicare ac facere publicari; contradictores quoslibet et rebelles per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, plenam et liberam concedimus auctoritate apostolica tenore presentium potestatem. Presentibus post unum annum minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Octobris Pontificatus nostri Anno Quinto.

P. de Bosco. Duplicata de Curia.
Jo. de Pempelvoirde.

CCCII.

1394. 18. Octobris.

Fidelibus contra Turchas pugnantibus et stipendia ministrantibus indulgentiam concedit.

(Regest. Bullarum. Vol. 314. f. 301.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Dominici de Eugubio, ordinis Predicatorum professori et in sacra theologia Magistro, salutem etc. Dudum, per alias nostras literas, tibi dedimus in mandatis, ut verbum sanctissime crucis contra infideles, quos vulgus Turchos appellat, in ducatu Austrie ac civitatibus, terris, opidis et locis dilecto filio nobili viro Alberto Duci Austrie qualitercunque subiectis et in Marchia Tervisina deberes per te, vel alium, seu alios predicare, prout in nostris literis super inde confectis plenius continetur. Et voluimus inter cetera, quod omnes et singuli Christi fideles, qui crucis assumpto caractere prefatos perfidos Turchos et alios infideles ac fautores et receptatores eorum in personis et sumptibus propriis expugnarent, et super hoc per annum incipiendum a die, de quo tu duceres ordinandum, continuum vel interpollatum infra biennium extunc complendum, laborarent, ecclesie sequendo vexillum, tam clerici quam laici et illi insuper, qui tibi, seu alteri per te ad hoc deputando, ministrarent sufficientia stipendia, ut destinare valeres ydoneos bellatores, per dictam tempus moraturos et bellaturos ibidem, illa gauderent indulgentia, illoque privilegio essent muniti, que accedentibus in Terre Sancte subsidium per Sedem Apostolicam conceduntur. Eos autem, qui non per annum integrum sed pro ipsius anni parte in huiusmodi Dei servitio forsitan laborarent, aut prefata stipendia ministrarent, iuxta quantitatem subsidii ac laboris et devotionis affectum participes essent indulgentie memorate, prout in eisdem literis plenius continetur. Verum, quia, sicut fidedignorum relatu percepimus, propter fragilitatem nature humane pauci sunt, qui per tempus dicti anni servire aut stipendia ministrare velint et valeant, et propterea a desiderio tante indulgentie quamplurimum reputant se frustratos, licet pro parte dicti temporis libenter laborarent, aut stipendia ministrarent eadem; Nos volentes illa tibi concedere, per que fidelibus ipsis te valeas reddere gratiosum, Discretioni tue huiusmodi tempus et terminum dicti anni ac stipendia antefata; per te, vel alium, seu alios, minuendi, moderandi et abreviandi aliaque ad dictum officium et pro executione premis-

sorum necessaria et oportuna faciendi et libere exercendi damus tenore presentium, auctoritate apostolica, plenariam potestatem. Presentibus post unum annum minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum XV. Kalendas Novembris Pontificatus nostri Anno Quinto.

P. de Bosco. Duplicata de Curia.
Jo. de Pempelvoirde.

CCCIII.

1394. 26. Octobris.

(Anni V. Liber IV. f. 148 t.)

Nicolao Johannis canonico Zagrabiensi canonicatum in ecclesia Quinqueecclesiensi confert.

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati monasterii Sancte Trinitatis, Quinqueecclesiensis diocesis, ac Archidiacono de Barania in ecclesia Quinqueecclesiensi salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos dilectus filius Nicolaus Johannis, canonicus Zagrabiensis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, canonicatus et prebenda ecclesie Quinqueecclesiensis per liberam resignationem dilecti filii Johannis Salteti (?),tunc ipsius ecclesie canonici, per eum de illis in manibus dilecti filii nostri Valentini tituli sancte Sabine presbyteri Cardinalis, administratoris dicte ecclesie in spiritualibus et temporalibus, per Sedem Apostolicam deputati, extra Romanam Curiam, sponte factam, et per eundem Valentinum Cardinalem, extra dictam Curiam, admissam, vacaverint et vacent ad presens, Nos volentes dicto Nicolao, qui presbyter est, . . . gratiam facere specialem, Discretioni vestre . . . mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quinquaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Nicolaus asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo . . . vacent, . . . eidem Nicolao . . . conferre et assignare curetis. . . . Non obstantibus, . . . quod prefatus Nicolaus, ut asserit, in Zagrabiensi, quorum fructus . . . decem marcharum argenti . . . valorem annuum non excedunt, et in sancti Johannis de Castro Quinqueecclesiensi ecclesiis canonicatus et prebendas noscitur obtinere. Volumus autem, quod idem Nicolaus, quamprimum . . . canonicatum et prebendam predicte ecclesie Quinqueecclesiensis fuerit pacifice assecutus, eosdem canonicatum et prebendam

ecclesie sancti Johannis, quos, ut prefertur, obtinet, quosque extunc vacare decernimus, omnino, prout ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur.... Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Novembris Anno Quinto.

CCCIV.

1394. 30. Octobris.

Johanni de Eugubio ad Austriæ ducatum destinato Nuntio Apostolico concessas facultates, ad Venetiarum provincias extendit.

(Regest. Bullarum. Vol. 314. f. 311.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Dominici de Eugubio, ordinis Predicatorum professori et in sacra theologia Magistro, salutem etc. Grandium virtutum donis ac literarum scientia, quibus personam tuam fidedignorum relatibus percepimus insignitam, inducimur, ut tuis humeris pro fidei ortodoxe honore et commodis ex tuis virtuosis actibus dante Domino procurandis adiiciamus solicitudines et labores. Nuper siquidem ad apostolatus nostri aures nonnullorum fidelium populorum vehemens et amara valde querela pervenit, quod nefanda infidelium paganorum et horrenda Turchorum gens nonnullas partes christianitatis et maxime regni Ungarie occupaverant, et quod fideles et devoti partium predictarum tot angariabantur pressuris, assidue tot cottidie fatigabantur angustiis, ac tot indesinenter miseriis affligebantur, quod deterior fidelium ac devotorum ipsorum conditio existebat, quam esset olim populi Dei sub iugo Pharaonice servitutis. De quibus lamentabatur regio illa tristis de intollerabili persecutione, quam patiebantur, et lamenta multiplicans clamabat ad Christi Vicarium, christianos principes, Duces, Comites et Barones et universam plebem Catholicam interpellabat, eis quoque sua vulnera detegendo, a quibus salutaria suffragia postulabant et expectabant. Nos, huiusmodi querelis frequentibus et querulosis excitati, volentes eisdem fidelibus et devotis de alicuius subventionis auxilio salubriter providere, ut eorundem infidelium paganorum Turchorum furentium varietas vitiorum, iniquitas feralium criminum et cruentarum compendia rapinarum, quibus eorum vita maculata conspicitur, superstitiones quoque, quibus Catholice fidei adversantur, et oppressiones crudeles, per quas infestatione sacrilega Dei ecclesias et ipsius ministros, subditos et fideles crudeliter persecuntur, prostrata succumbant et in pulverem merito reducantur, de fratrum nostrorum consilio

et apostolice plenitudine potestatis, contra dictos paganos et perfidos Turchos verbum vivifice crucis in Ducatu Austrie et in aliis civitatibus, opidis, terris et locis, dilecto filio Nobili viro Alberto Duci Austrie qualitercunque subiectis, et in Marchia Tervisina, per te et deputandos a te, sub certis modo et forma, decrevimus proponendum, et inter cetera omnibus et singulis Christi fidelibus vere penitentibus et confessis, qui crucis assumpto caractere infideles ipsos et perfidos Turchos et paganos Dei hostes et ecclesie memorate ac fautores et receptatores eorum, in personis et sumptibus propriis, expugnarent, et super hoc per annum incipiendum a die, de quo tu duceres ordinandum, continuum vel interpolatum infra biennium laborarent, ecclesie sequendo vexillum, tam clericis, quam laicis et illis insuper, qui tibi, seu alteri per te ad hoc deputando ministrarent sufficientia stipendia, ut destinare valeres ydoneos bellatores per dictum tempus moraturos et ibidem bellaturos, illam plenissimam concessimus veniam et remissionem peccatorum, que per Sedem Apostolicam proficiscentibus in subsidium Terre Sancte concedi consuevit; eos autem, qui non per annum integrum, sed pro ipsius anni parte in huiusmodi Dei servitio forsitan laborarent, seu prefata stipendia ministrarent, iuxta quantitatem subsidii ac laboris et devotionis affectum, participes esse volumus indulgentie, memorate, data tibi plenaria potestate huiusmodi tempus et terminum dicti anni et stipendia antefata, per te, vel alium, seu alios minuendi, moderandi et abbreviandi, et super usuris et male ablatis incertis, de quibus non constaret, quibus personis huiusmodi usurarum et male ablatorum incertorum esset restitutio facienda, componendi, et ab ipsis usuris et male ablatis fideles ipsos, cum quibus composueris dumtaxat, absolvendi et Venerabilibus fratribus Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis et dilectis filiis Abbatibus, Prioribus ac Decanis et ecclesiarum Rectoribus quibuscunque, exemptis et non exemptis, auctoritate nostra, precipiendi, ut te et deputandos a te honorifice recipiant et caritative pertractent, aliaque ad dictum officium, et pro executione premissorum necessaria et opportuna faciendi et libere exercendi, prout in aliis nostris inde confectis literis plenius continetur. Verum, quia dignum censemus et debitum, Universisatem inclitam Venetorum huiusmodi fidelibus et devotis, sicut prefertur, oppressis beneficia grandia largientem et alias provincias infrascriptas non minus ad premissa excitare, et prefatis donis et gratiis premiari, idcirco predicta et alia queque per nos concessa et tibi commissa, in dictis literis contenta, ad Venetias, Castellane diocesis, necnon in Aquilegensem, Gradensem, Saltzeburgensem provincias et ad omnes et singulos

episcopatus et diocesum earum suffraganeos et quemlibet ipsorum, auctoritate apostolica, extendimus per presentes, tibi ea omnia et singula in Venetiis, provinciis, civitatibus et diocesibus predictis et earum qualibet, per te, vel alium, seu alios, gerendi, faciendi, exercendi et publicandi, ac omnibus et singulis potestatibus per nos tibi, ut prefertur, concessis, ac si in predictis literis specialiter et expresse de ipsis mentio habita extitisset, inibi utendi, eadem auctoritate, plenariam et liberam facultatem concedentes. Presentibus post unum annum minime valituris. Tu igitur huiusmodi tibi commissum officium sic sollicite exequaris fideliter et prudenter, quod preter eterne retributionis meritum, apud nos et Sedem Apostolicam valeas merito commendari. Datum Rome apud Sanctum Petrum III. Kalendas Novembris Pontificatus nostri Anno Quinto.

P. de Bosco. De Curia Duplicata.
H. Bernghos.

ANNUS SEXTUS.

1394. 9. NOVEMBRIS—1395. 8. NOVEMBRIS.

CCCV.

1394. 20. Novembris.

Gallo, Archidiacono de Baranya, ut fructus beneficiorum etiam absens percipere possit, indulget.

(Anni VI. Liber CX, XXXIX. f. 157. t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Gallo, Archidiacono de Baranja in ecclesia Quinqueecclesiensi ... Itaque tibi indulgemus, ut in Romana Curia vel in aliquo beneficiorum tuorum ecclesiasticorum residendo aut literarum studio in loco, ubi illud vigeat generale, insistendo fructus, redditus et proventus beneficiorum tuorum omnium, que in quibuscumque ecclesiis sive locis nunc obtines et imposterum obtinebis ... usque ad quinquennium a data presentium computandum cum ea integritate percipere valeas, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, cum qua illos perciperes, si in eisdem ... personaliter resideres ... Proviso, quod beneficia huiusmodi debitis interim obsequiis non fraudentur, et animarum cura in eis, quibus illa imminet, nullatenur negligatur, sed per bonos, sufficientes vicarios, quibus de beneficiorum ipsorum proventibus necessaria congrue ministrentur, diligenter exerceatur ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Duodecimo Kalendas Decembris Anno Sexto.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Sancte Trinitatis et Pech-Waradiensi, Quinqueecclesiensis diocesis, Monasteriorum Abbatibus salutem etc. Datum ut supra.

CCCVI.

1394. 14. Decembris.

Omne ius, si quod Johanni Laurentii ad canonicatum Varadiensis ecclesiæ competebat, Laurentio de Posega conferri præcipit.

(Anni VI. Liber III. f. 73.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Himerico Westertholte, Capellano nostro, et causarum Palatii apostolici Auditori salutem etc. Vite ac

morum honestas aliaque laudabilia, . . . super quibus apud nos Laurentius Benedicti de Posega, Rector altaris Omnium Sanctorum, siti in ecclesia Waradiensi, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Laurentii petitio continebat, quod orta dudum inter ipsum et dilectum filium Nicolaum Pauli, dictum magistrum, qui se gerit pro Rectore altaris sancti Pauli apostoli, siti in ecclesia predicta, nec non quondam Johannem Laurentii clericum super canonicatu et prebenda dicte ecclesie, quos tunc per obitum quondam Johannis Blasii de Themeswar, ipsius ecclesie canonici, extra Romanam Curiam defuncti, vacantes Laurentius se vigore quarundam literarum nostrarum gratiose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasse, et de illis sibi provisum seque illis assecutum extitisse canonice, eosque aliquandiu tenuisse et possedisse et nunc etiam tenere et possidere pacifice et quiete, dictosque Johannem Laurentii et Nicolaum se gratie, acceptationi, provisioni ac assecutioni predictis contra iustitiam opposuisse et opponere, ipsumque Nicolaum prefatum Laurentium canonicatu et prebenda predictis contra iustitiam spoliasse, seque in eis intrusisse, illosque occupasse et detinuisse, ac detinere indebite occupatos; Nicolaus vero et Johannes Laurentii predicti, quilibet videlicet ipsorum canonicatum et prebendam predictos ad se de iure spectare asserebant, prout Laurentius et Nicolaus predicti asserunt, materia questionis et causa huiusmodi ad Sedem Apostolicam legitime introducta, Nos causam ipsam ad instantiam dicti Laurentii tibi audiendam commisimus et fine debito terminandum, tuque in causa ipsa ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, diceris processisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, lite huiusmodi coram te sic indecisa pendente, prefatus Johannes Laurentii extra dictam Curiam fuerit vita functus, Nos statum cause huiusmodi habentes presentibus pro expresso, dictoque Laurentio, ne novus sibi in causa huiusmodi adversarius surrogetur, providere eique specialem gratiam facere volentes; Discretioni tue mandamus, quatenus eundem Laurentium, dummodo ipse in dictis canonicatu et prebenda intrusus non fuerit, in omni iure et ad omne ius, si quod prefato Johanni Laurentii tempore sui obitus in ipsis canonicatu et prebenda, quorum fructus sexaginta florenorum auri valorem annuum . . . non excedunt, seu ad eos quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges, ipsumque ius sibi conferas, et provideas etiam de illo, ipsumque ad huiusmodi ius ac eius prosecutionem et defensionem in eo statu, in quo prefatus Johannes Laurentii tempore huiusmodi sui obitus

erat, et si viveret posset et deberet admitti, admittas et admitti facias, ut est moris. Et nihilominus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterat, *(sic)* neutri dictorum Laurentii et Nicolai in ipsis canonicatu et prebenda seu ad eos ius competere, canonicatum et prebendam predictos, sive ut prefertur, sive alias quovismodo aut ex alterius cuiuscumque persona vacent, dummodo tempore date presentium non sit in eis alicui specialiter ius quesitum, eidem Laurentio auctoritate nostra conferre et assignare procures . . . Nos obstantibus, . . . quod prefatus Laurentius, ut asserit, altare Omnium Sanctorum predictum obtinet, et super archidiaconatu de Calata in ecclesia predicta, quorum fructus sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum non excedunt, in Palatio apostolico noscitur litigare. Volumus autem, quod quamprimum prefatus Laurentius canonicatum et prebendam predictos fuerit vigore presentium pacifice assecutus, prefate littere, per quas illos acceptavit et de illis provideri sibi fecit, ut prefertur, et processus habiti per easdem ac omnia inde secuta sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimonino Kalendas Januarii Anno Sexto.

CCCVII.

1395. 7. Januarii.

Canonicatum ecclesiæ Varadiensis hucusque litigiosum Lucæ, Archidiacono de Szeghalom, conferri præcipit.

(Anni VI. Liber I. f. 5.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Bertrando, Episcopo Eugubensi in Romana Curia commoranti, salutem. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia, . . . super quibus apud nos dilectus filius Lucas Clementis, Archidiaconus de Zugalom in ecclesia Waradiensi, fidedigno commendatur testimonio nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Luce petitio continebat, quod orta dudum inter ipsum et quondam Ladislaum Marci clericum super canonicatu et prebenda ecclesie predicte, quos tunc per obitum quondam Michaelis, ipsius ecclesie Canonici extra Romanam Curiam defuncti, vacantes Lucas se vigore quarundam literarum apostolicarum, gratiose sibi concessarum, prout ex ipsarum forma poterat, infra tempus legitimum acceptasse, et de illis sibi provisum fuisse canonice, prefatumque Ladislaum se gratie, acceptationi

et provisioni predictis contra iustitiam opposuisse et opponere, ac fecisse et facere, quominus prefatus Lucas eosdem canonicatum et prebendam assequi posset, et nihilominus se in dictis canonicatu et prebenda intrusisse illosque occupasse et detinuisse ac detinere indebite occupatos; Ladislaus vero predictus eosdem canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebat, prout idem Lucas asserit, materia questionis; Nos causam huiusmodi, non obstante, quod de sui natura ad eandem Curiam legitime devoluta et apud eam tractanda et finienda non esset, ad instantiam dicti Luce tibi, qui tunc locum unius ex Auditoribus causarum Palatii apostolici de mandato nostro tenebas, prout tenes, audiendam commissimus et fine debito terminandam, tuque in causa ipsa ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, diceris processisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus Ladislaus in possessione dictorum canonicatus et prebende existens, huiusmodi lite coram te sic indecisa pendente, extra dictam Curiam fuerit vita functus, Nos statum cause huiusmodi habentes presentibus pro expresso dictoque Luce, ne novus sibi in causa huiusmodi adversarius surrogetur, providere, ac premissorum meritorum suorum intuitu specialem gratiam facere volentes Fraternitati tue per apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Lucam, dummodo ipse in dictis canonicatu et prebenda intrusus non fuerit, in omni iure et ad omne ius, quod prefato Ladislao in ipsis canonicatu et prebenda tempore huiusmodi sui obitus quomodolibet competebat, aut competere poterat, auctoritate nostra surroges, ipsumque ius sibi conferas et provideas etiam de eodem ipsumque Lucam ad huiusmodi ius ac eius prosecutionem et defensionem in eo statu, in quo prefatus Ladislaus tempore dicti sui obitus existebat, et si viveret, posset et deberet admitti, nec non ad possessionem ipsorum canonicatus et prebende, in qua idem Ladislaus erat, ut prefertur, admittas et admitti facias, ut est moris, et nihilominus canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . octuaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Lucas asserit, non excedunt sive premisso, sive alio quovismodo aut ex alterius cuiuscumque persona vacent, eidem Luce auctoritate nostra conferre et assignare procures. Non obstantibus, . . . quod prefatus Lucas, ut asserit archidiaconatum de Zugelom *(sic)* in ecclesia predicta, cuius sexaginta obtinet, et nos sibi nuper de cantoria predicte tunc vacatura et canonicatu et prebenda Transilvane ecclesiarum tunc vacantibus, quorum triginta duarum marcharum argenti puri fructus . . . valorem annuum non excedunt, gratiose concessimus provideri. Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Idus Januarii Anno Sexto.

CCCVIII.

1395. 13. Januarii.

Nicolao, custodi ecclesiæ Bosnensis, ut fructus beneficio um etiam absens percipere possit, indulget.

(Anni VI. Liber LIII. f. 237.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Nicolao Laurentii, Custodi ecclesie Bosnenis, salutem etc. . . . Indulgemus, ut in Romana Curia vel in aliquo beneficiorum tuorum residendo, aut literarum studio in loco, ubi illud vigeat generale, insistendo, fructus . . . omnium beneficiorum tuorum . . . libere percipere valeas, quotidianis distributionibus exceptis . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Idus Januarii Anno Sexto.

Simili modo. Venerabili fratris Patriarche Gradensi et dilectis filiis Bosnensis ac sancti Petri de Posega, Quinqueecclesiensis diocesis, ecclesiarum Lectoribus . . . Datum ut supra.

CCCIX.

1395. 13. Januarii.

Lucæ, monacho ordinis s. Benedicti, antea ordinem eremitarum s. Pauli professo, ut imposterum etiam munera gerere possit, indulget.

(Anni VI. Liber LIII. f. 167.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Luce Andree, monacho Monasterii sancti Martini de Sacromonte Pannonie, ordinis sancti Benedicti, Jauriensis diocesis, salutem etc.... Dudum siquidem felicis recordationis Urbanus papa VI. predecessor tibi, ut asseris, per suas literas concessit, ut de ordine fratrum heremitarum sancti Pauli primi heremite, sub regula sancti Augustini, cuius professor existebas, ad ordinem sancti Benedicti, etiam absque tui Superioris licentia, transire valeres, et una cum dilectis filiis Abbate et Conventu Monasterii sancti Martini de Sacromonte Pannonie, dicti ordinis sancti Benedicti, Jauriensis diocesis, devotum Altissimo reddere famulatum... Cum autem postmodum tu de dicto ordine fratrum Heremitarum ad prefatum ordinem sancti Benedicti translatus in prefato monasterio in monachum et in fratrem receptus extiteris, ac inibi expressam professionem emiseris regularem, in quo qui-

dem monasterio usque nunc laudabiliter vixisti, Nos volentes te premissorum meritorum intuitu favore prosequi gratie amplioris, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tecum, ut beneficia ecclesiastica dicti ordinis sancti Benedicti, etiam si dignitates abbatiales aut administrationes, seu officia fuerint, si tibi alias canonice conferantur, vel assumaris ad illa, libere recipere et licite retinere valeas, Viennensis Concilii et quibuscumque constitutionibus apostolicis ac statutis et consuetudinibus monasterii et ordinis predictorum contrariis, iuramento, confirmatione apostolica vel quacumque firmitate alia roboratis, nequaquam obstantibus, auctoritate apostolica de uberioris dono gratie tenore presentium dispensamus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Ianuarii Anno Sexto.

CCCX.

1395. 13. Januarii.

Stephano, monacho ordinis s. Benedicti, in monasterio de Rudina perpetuo remanendi concedit facultutem.

(Anni VI. Liber LIII. f. 101.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Stephano Johannis, monacho Monasterii de Rudina, ordinis sancti Benedicti, Quinqueecclesiensis diocesis, salutem etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim pro parte tua, qui tunc frater domus sancti Pauli primi heremite de Bonis, ordinis sancti Augustini, Quinqueecclesiensis diocesis, ordinem ipsum expresse professus et in minoribus ordinibus constitutus eras, dilecto filio nostro Francisco, tituli s Susanne presbytero Cardinali, qui tunc penitentiarie nostre curam gerebat, prout gerit, exposito, quod tu in prefata domo non poteras cum tui animi quiete remanere, idem Cardinalis tibi, ut tui superioris licentia petita, licet non obtenta, ad aliquem alium parem vel arctiorem ordinem te transferre, et in eo professionem regularem emittere et perpetuo Domino famulari posses, apostolica auctoritate concessit; tuque vigore concessionis huiusmodi te ad monasterium de Rudina, ordinis sancti Benedicti, dicte diocesis, transtulisti, et in eo regularem professionem, per monachos ipsius monasterii emitti consuetam, emisisti, et ad sacerdotium rite promotus fuisti et in susceptis ordinibus ministrasti. Nos igitur . . . tibi, ut in eodem monasterio perpetuo remanere et in susceptis ordinibus ministrare libere et licite valeas, constitutioni-

bus apostolicis ac statutis et consuetudinibus monasterii, domus et ordinum predictorum contrariis nequaquam obstantibus . . . dispensamus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Idibus Januarii Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCXI.

1395. 18. Januarii.

Rogerio, Præposito de Posega, ut fructus præposituræ etiam absens percipere possit, indulget.

(Anni VI. Liber LIII. t. 224.)

Bonifacius etc. Dilecto filio magistro Rogerio de Canaziis (?), Preposito ecclesie sancti Petri de Posega, Quinqueecclesiensis diocesis, Referendario nostro, salutem etc. Grata tue devotionis obsequia, que nobis et Romane ecclesie hactenus impendisti, et adhuc . . . impendere non desistis . . . nos inducunt, ut illa tibi favorabiliter concedamus, que tuis commoditatibus conspicimus fore opportuna. Hinc est, quod nos tuis, qui, ut asseris, utriusque iuris doctor existis, supplicationibus inclinati, tibi . . . indulgemus, ut in Romana Curia aut nostris et Romane ecclesie, seu . . . Sigismundi Regis, vel . . . Marie Regine . . . servitiis insistendo, aut in aliquo beneficiorum tuorum . . . residendo; fructus . . . prepositure ecclesie sancti Petri de Posega . . . quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis . . . percipere valeas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kalendas Februarii Anno Sexto.

Simili modo. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Strigoniensi et Episcopo Waradiensi et dilecto filio Preposito de Viridicampo Strigoniensi . . . Datum ut supra.

CCCXII.

1395. 18. Januarii.

Lucæ Demetrii, Præposito de Veteri Buda, ut fructus beneficiorum etiam absens percipere possit, indulget.

(Anni VI. Liber LIII. f. 222.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Luce Demetrii, Preposito ecclesie sancti Petri de Veteribuda, Vesprimiensis diocesis, salutem etc.... Nos tuis supplicationibus inclinati, auctoritate tibi presentium indulgemus, ut in Romana Curia aut nostris et Romane ecclesie, seu Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi regis vel carissime in Christo filie nostre Marie, regine Ungarie, Illustrium servitiis insistendo, aut in aliquo beneficiorum tuorum ecclesiasticorum, que nunc in quibusvis ecclesiis sive locis obtines, et in futurum obtinebis, residendo, fructus, redditus et proventus prepositure ecclesie sancti Petri de Veteribuda, Vesprimiensis diocesis, et aliorum quorumcumque beneficiorum tuorum ecclesiasticorum, cum cura vel sine cura, que ad presens obtines et in posterum obtinebis, . . . quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, libere percipere valeas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kalendas Februarii Anno Sexto.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Aquensi et dilectis filiis Abbati monasterii sancti Georgii de Monyrod ac Preposito ecclesie Beate Margarete de Demes, Waciensis et Vesprimiensis diocesis.

CCCXIII.

1395. 24. Februarii.

Ladislao, Parocho de Viska, Transilvanæ diœcesis, beneficium confert.

(Anni VI. Liber V. f. 125.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Ladislao Thome, Rectori parochialis ecclesie sancti Petri martiris de Visca, Transilvanensis diocesis, salutem etc.... Volentes itaque tibi ... gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum, cum cura vel sine cura, cuius fructus, . . . si cum cura vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum auri . . . valorem annuum

non excedant, ad collationem ... Episcopi Transilvani et Capituli ... ecclesie Transilvanensis pertinens, — dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non existat, si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, quod tu ... infra unius mensis spatium, postquam tibi ... vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandum, conferendum tibi ... donationi apostolice reservamus. Non obstantibus, ... quod, ut asseris, parochialem ecclesiam sancti Petri martiris de Visca, Transilvanensis diocesis, obtines, et nos nuper tibi de canonicatu sub expectatione prebende dicte ecclesie Transilvanensis gratiose concessimus provideri. Volumus autem, quod, quamprimum vigore presentium aliquod beneficium curatum fueris pacifice assecutus, dictam parochialem ecclesiam, quam, ut prefertur, obtines, quamque extunc vacare decernimus, omnino dimittere tenearis ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Kalendas Martii Anno Sexto.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancte Marie de Clusmonostora, Transilvanensis diocesis, ac Preposito Transilvanensi.

CCCXIV.

1395. 2. Martii.

Præposituram s. Nicolai extra muros Albæ-Regalis casu evictionis, neutrum litigantium ius ad illam habuisse, Jacobo dicto Rufo, canonico Transilvano, conferri præcipit.

(Anni VI. Liber III. f. 53.)

Bonifacius etc. Dilecto filio magistro Paulo de Dugnano, Capellano nostro, et causarum Palatii apostolici Auditori, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia, super quibus apud nos dilectus filius Jacobus dictus Rufus canonicus Transilvanus fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Olim siquidem pro parte dicti Jacobi nobis exposito, quod orta dudum inter ipsum et dilectum filium Mathiam Petri de Albis, qui se gerit pro canonico ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, super perpetuum prioratum sive magistratum nuncupatum, ecclesie sancti Nicolai extra muros Alberegalis, dicte diocesis, quam tunc per liberam resignationem dilecti filii Martini Pauli, tunc ipsius ecclesie perpetui Rectoris, sive Magistri nuncupati, per eum de illa in manibus bone memorie Demetrii tituli sanctorum Quatuorcoronatorum presbyteri Cardinalis, tunc in partibus illis Apostolice Sedis legati, extra Romanam Curiam sponte factam, et per eundem Cardina-

lem extra eandem Curiam auctoritate legationis huiusmodi admissam, vacantem, Jacobus sibi predicta auctoritate collatam, sibique de illa provisum seque illam assecutum fuisse canonice, dictumque Mathiam se collatione, provisioni et assecutioni predictis contra iustitiam opposuisse et opponere, ac impedivisse et impedire ac fecisse et facere, quominus ipse Jacobus eandem preposituram posset pacifice possidere, Mathias vero predictus eandem preposituram ad se de iure spectare asseruerant, prout nunc etiam asserunt, materia questionis; et causa huiusmodi ad Sedem predictam legitime introducta; Nos causam huiusmodi ad instantiam dicti Mathie quondam Bucio de Rissis, Capellano nostro et causarum Palatii apostolici Auditori, primo, et demum postquam idem Auditor ad nonnullos actus in causa huiusmodi, citra tamen conclusionem, inter partes ipsas processerat, dilecto filio Magistro Brande de Castellione, Capellano nostro et Auditori causarum dicti Palatii, ex certis causis audiendam commiseramus fine debito terminandam, quodque a nonnullis asserebatur neutri dictorum Jacobi et Mathie in dicta prepositura seu ad eam ius competere, Nos prefato Brande Auditori per nostras dedimus literas in mandatis, ut, si per eventum litis huiusmodi sibi constaret, neutrum dictorum Jacobi et Mathie in eadem prepositura seu ad eam ius habere, prepositurам ipsam, sive ut prefertur, sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona vacaret, dummodo tunc non esset in ea alicui specialiter ius quesitum, illi ex eisdem Jacobo et Mathia, quem per diligentem examinationem ad obtinendam dictam prepositurам idoneum et sufficientiorem esse reperiret, auctoritate nostra conferret et assignaret. Et subsequenter, tacito de literis predictis, pro parte ipsius Mathie nobis significato, quod dictus Branda Auditor in causa huiusmodi procedens, diffinitivam, per quam inter cetera prepositurам ipsam Mathie adiudicaverat et super ea Jacobo prefato perpetuum silentium imposuerat, sententiam promulgaverat, et ab ea pro parte dicti Jacobi ad Sedem prefatam appellato, Nos causam appellationis huiusmodi tibi commiseramus audiendam et fine debito terminandam, tuque ad nonnullos actus in causa huiusmodi, citra tamen conclusionem inter partes ipsas processeras, quodque a quibusdam asserebatur adhuc neutri dictorum Mathie et Jacobi in eadem prepositura seu ad eam ius competere, Nos tibi per alias nostras literas dedimus in mandatis ut, si per eventum litis huiusmodi tibi constaret neutrum ipsorum Mathie et Jacobi in dicta prepositura seu ad eam ius habere, prepositurам ipsam eidem Mathie conferres et provideres etiam, de eadem, prout in dictis literis plenius continetur. Tuque postmodum, sicut exhibita

nobis pro parte dicti Jacobi petitio continebat, ad nonnullos alios actus in causa huiusmodi inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, adhuc a nonnullis asseratur, neutrum dictorum Jacobi et Mathie in ipsa prepositura seu ad eam ius habere, Nos statum cause huiusmodi habentes presentibus pro expresso, dictoque Jacobo . . . specialem gratiam facere volentes, Discretioni tue per apostolica scripta mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit neutri Jacobi et Mathie prefatorum in dicta prepositura seu ad eam ius competere, preposituram ipsam, cuius fructus . . . centum et vigintiquinque marcharum argenti puri ... valorem annuum, ut ipse Jacobus asserit, non excedunt, sive ut premittitur, sive alias quovis modo aut ex alterius cuiuscumque persona vacet, ... dummodo ipse Jacobus in dicta prepositura non fuerit intrusus, et tempore date presentium non sit in ea alicui specialiter ius quesitum, ... eidem Jacobo ... conferas. Non obstantibus, quod idem Jacobus, ut asserit, in Transilvana et in beate Marie Alberegalis predicta canonicatus et prebendas obtinet, et super altari sine cura sancte Trinitatis sito in eadem beate Marie ecclesiis, quorum omnium fructus . . . quinquaginta marcharum argenti puri valorem annuum non excedunt, in dicto Palatio noscitur litigare . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Nonas Martii Pontificatus nostri Anno Sexto.

CCCXV.

1395. 16. Martii.

Johannem Archiepiscopum Strigoniensem in provincia etiam Colocensi constituit Primatem et Legatum natum, successoribusque eius in provincia Strigoniensi Primatis et Legati nati potestatem confert.

(Originale in Tabularis Primatiali. Strigoniens.i)

Bonifacius . . . Venerabili fratri Johanni Archiepiscopo Strigoniensi, Primati et Apostolice Sedis Legato, salutem . . . Romanus Pontifex, qui disponente Domino super omnes ecclesias ordinarie potestatis obtinet principatum, quandoque incumbentia sibi onera non locis, sed Prelatis partitur ydoneis, eosque in sollicitudinem apostolici officii per amplius honorando ac etiam onerando suscipit, prout iuxta personarum et temporum qualitatem ac etiam reipublice utilitatf conspicit expediri. Dudum siquidem te in civitate et diocesi ac provincia Strigoniensi, necnon quibuslibet Monasteriis, ecclesiis et locis, tibi ratione tuorum Archiepiscopatus

ac ecclesie Strigoniensis quomodolibet subiectis, Primatem et Legatum Sedis Apostolice natum, quamdiu te eidem ecclesie Strigoniensi duntaxat presidere contingeret, de fratrum nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine, per alias nostras litteras . . . constituimus.[1] . . . Attendentes igitur eximium devotionis fervorem, quem ad nos et Romanam geris ecclesiam, ac sperantes quod tu ea que tibi committimus, scies et poteris, auctore Domino et ad eius laudem ac gloriam et exaltationem fidei, necnon prosperum statum incolarum partium infrascriptarum, exequi sollicite, fideliter et prudenter, prout predicta per nos tibi commissa laudabiliter hactenus executus fueris, et exequeris de presenti; ac premissorum intuitu, nec non consideratione carissimi in Christo filii nostri Sigismundi Regis Ungarie Illustris, super hoc nobis humiliter supplicantis, et propter optatum huiusmodi incolarum prosperum statum et salutem animarum, cum affectionis paterne plenitudine, digesto consilio ac perpensa deliberatione, maxime quia innumerabilium sumus quasi negotiorum continuo varietate distracti ita, quod humana natura non patitur, ut essentia nostri corporis tota simul in diversis locis exhibeat se presentem, te, quem etiam percipimus zelum iustitie colere et esse pacis auctorem, ac tibi celesti esse dono provisum, ut in arduis negotiis scias et possis provide consulere et utili consilio providere, et quem Dominus scientiarum magnitudine, providentie munere, circumspectiomis gratia multipliciter insignivit, humeris tuis fortitudinis robur adiiciens, ut ad huiusmodi laudem nominis grandia supportes; et eandem ecclesiam Strigoniensem ac etiam successores tuos Archiepiscopos Strigonienses, qui erunt pro tempore, condignis honoribus sublimare volentes, te etiam in civitate et diocesi ac provincia Colocensi, quamdiu eidem ecclesie Strigoniensi duntaxat prefueris, ut prefertur, et etiam postea predictos successores tuos Archiepiscopos, in civitate et diocesi ac provincia Strigoniensi, necnon quibuslibet Monasteriis ecclesiis et locis predictis, eidem ecclesie Strigoniensi quomodolibet, ut premittitur, subiectis tantum, perpetuos Primates et Legatos dicte Sedis natos, cum omnibus et singulis potestatibus et facultatibus predictis, in predictis literis contentis, ac honoribus, preeminentiis solitis, et quibus ceteri Primates et Legati nati de consvetudine vel de iure prefulgent, . . . tenore presentium constituimus, facimus et etiam deputamus . . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimosexto Kalendas Aprilis Pontificatus Nostri Anno Sexto.

[1] V. Num. CCLXXX.

CCCXVI.

1395. 18. Martii.

Mauritio Mauritii canonicatum ecclesiæ b. Mariæ virginis Albae Regalis denuo confert.

(Anni VI. Liber III. f. 11.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Omnium Sanctorum de Castro Vesprimiensi ac sancti Petri de Veteribuda, Vesprimiensis diocesis, ecclesiarum Prepositis, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia, . . . super quibus apud nos dilectus filius Mauritius Mauritii, Rector altaris beati Michaelis Archangeli, siti in ecclesia Waradiensi, fidedigno commendatur testimonio nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Mauritii petitio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie beate Marie Virginis Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, quos quondam Michael Parvus, ipsius ecclesie beate Marie canonicus, dum viveret, obtinebat, per ipsius Michaelis obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, vacantibus, dilectus filius Johannes Zudor, Prepositus dicte ecclesie beate Marie, cum ad prepositum eiusdem ecclesie pro tempore existentem collatio et provisio dictorum canonicatus et prebende de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertineant, dictos canonicatum et prebendam sic vacantes eidem Mauritio auctoritate ordinaria contulit et providit etiam de eisdem ac huiusmodi collationis et provisionis vigore dictus Mauritius canonicatum et prebendam huiusmodi extitit assecutus illosque extunc tenuit et possedit per plures annos, prout tenet et possidet pacifice et quiete. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, prefatus Mauritius dubitet collationem et provisionem predictas certis ex causis viribus non subsistere, et, sicut accepimus, dicti canonicatus et prebenda adhuc, ut prefertur, vacare noscantur, Nos volentes prefato Mauritio . . . gratiam facere specialem, Discretioni Vestre . . . mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . sexaginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Mauritius asserit, non excedunt, . . . dicto Mauritio auctoritate nostra conferre et assignare curetis . . . Non obstantibus, quod . . . prefatus Mauritius, ut asserit, altare predictum, cuius viginti, obtinet, et super canonicatu et prebenda dicte ecclesie

Waradiensis, quorum sexaginta florenorum auri fructus . . . valorem annuum non excedunt, in Palatio apostolico noscidur litigare . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kalendas Aprilis Anno Sexto.

CCCXVII.

1395. 2. Aprilis.

Nicolaum Petri, canonicum Nitriensem, in possessione sui canonicatus defendi iubet.

(Anni VI. Liber III. f. 20.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Michaeli Episcopo Nitriensi salutem etc. Exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Nicolai Petri, canonici Nitriensis, petitio continebat, quod, cum olim ipse canonicatum et prebendam ecclesie Nitriensis, tunc vacantes, auctoritate apostolica sibi collatos fuisset pacifice assecutus, dilectus filius Demetrius Nicolai, qui se gerit pro clerico Strigoniensis diocesis, falso asserens eosdem canonicatum et prebendam ad se spectare, laicali suffultus potentia prefatum Nicolaum dictis canonicatu et prebenda et eorum possessione contra iustitiam spoliavit, et licet postmodum idem Nicolaus cum auxilio tuo ad possessionem ipsorum canonicatus et prebende reductus fuisset, tamen postmodum prefatus Demetrius tempore messium, quo fructus ipsorum canonicatus et prebende provenire debebant, eundem Nicolaum dictis canonicatu et prebenda denuo spoliavit. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, idem Nicolaus dubitet, tempore messium futurorum seu alias, quando fructus dictorum canonicatus et prebende, ad quos ipse iterato restitutus est, provenient, ipsis canonicatu et prebenda per prefatum Demetrium denuo spoliari non contigerit ac quidam pretensus procurator eiusdem Demetrii per ipsum Demetrium, qui minor decem annis est, absque alicuius curatoris vel tutoris consensu ad hoc, ut dicebat, constitutus, causam, quam idem Demetrius super dictis canonicatu et prebenda et eorum occasione contra prefatum Nicolaum movere intendebat, certo Auditori causarum Palatii apostolici per nos committi obtinuerit, licet de facto, idemque Auditor ad nonnullos actus in causa huiusmodi, citra tamen conclusionem, dicatur processisse etiam de facto; pro parte ipsius Nicolai nobis fuit humiliter supplicatum, ut providere sibi in premissis de optimo remedio de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati

Fraternitati tue per apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus vocatis dicto Demetrio et aliis, qui fuerint evocandi super premissis summarie, simpliciter et de plano ac sine strepitu et figura iudicii auctoritate nostra te diligenter informes et si per informationem huiusmodi tibi constiterit premissa fore vera, eidem Demetrio sub certis pecuniaria, de qua tibi videbitur, prefato Nicolao applicanda et aliis gravibus penis, quas ipso facto incurrat, eadem auctoritate inhibeas, ne ipsum Nicolaum dictis canonicatu et prebenda amplius presumat spoliare. Et nichilominus, si eundem Demetrium penas huiusmodi incurrere contigerit, eum ad satisfaciendum de ipsis prefato Nicolao auctoritate predicta compellas, faciens eundem Nicolaum dictorum canonicatus et prebende pacifica possessione gaudere ac insuper legitimis super hiis per te habendis servatis processibus eos, quotiens expedieret, aggravare procures. Contradictores per censuram ecclesiasticam etc. Invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Nonas Aprilis Anno Sexto.

CCCXVIII.

1395. 30. Aprilis.

Fidelibus capellam Omnium Sanctorum Albæ-Regalis exstructam visitantibus indulgentias concedit.

(Anni VI. Liber III. f. 231 t.)

Bonifacius etc. Universis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem etc. . . . Cupientes igitur, ut Capella Omnium Sanctorum in opido Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, quam dilectus filius Georgius Jacobi, laicus dicte diocesis, de propria salute recogitans et cupiens terrena in celestia et transitoria in eterna felici commercio commutare de bonis sibi a Deo collatis fundari canonice fecit et dotari, congruis honoribus frequentetur et etiam conservetur, et ut ipsi fideles eo libentius causa devotionis confluant ad eandem, et ad conservationem huiusmodi manus promptius porrigant adiutrices, . . . omnibus vere penitentibus et confessis, qui in celebritate Omnium Sanctorum predictorum dictam Capellam devote visitaverint annuatim et ad ipsius conservationem manus porrexerint adiutrices tres annos et totidem quadragenas de iniunctis eis penitentiis misericorditer relaxamus . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Kalendas Maii Anno Sexto.

CCCXIX.

1395. 5. Junii.

Canonicatum ecclesiæ Agriensis ac Archidiaconatum Borsodiensem omni remota dubitatione Nicolao de Szentimre conferri præcipit.

(Anni VI. Liber III. f. 26.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi salutem etc. . . . Dudum siquidem pro parte dilecti filii Nicolai Sebastiani de Sancto Emerico, clerici Agriensis diocesis, nobis exposito, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Agriensis et archidiaconatu Borsodiensi in dicta ecclesia, quos quondam Michael Chirke (sic) canonicus et archidiaconus Borssodiensis in eadem, dum viveret, obtinebat, per ipsius Michaelis obitum, qui extra Romanam Curium decesserat, vacantibus, carissimus in Christo filius noster Sigismundus, Rex Ungarie Illustris, pretendens ius nominandi seu presentandi personam seu personas idoneam seu idoneas ad canonicatum et prebendam nec non archidiaconatum predictos, cum vacarint, Regi Ungarie, qui esset pro tempore, in fundatione et dotatione ipsorum canonicatus et prebende ac archidiaconatus canonice factis reservatum, seque in pacifica possessione vel quasi existere nominandi seu presentandi Episcopo Agriensi, etiam pro tempore existenti, huiusmodi personam seu personas, eundem Nicolaum Venerabili fratri nostro Stephano Episcopo Agriensi ad canonicatum et prebendam necnon archidiaconatum predictos, sicut premittitur, vacantes infra tempus legitimum nominaverat, ipseque Episcopus pretextu nominationis eiusdem prefatum Nicolaum in canonicatu et prebenda ac archidiaconatu predictis auctoritate ordinaria instituerat, ipseque Nicolaus pretextu nominationis et presentationis predictarum canonicatum et prebendam ac archidiaconatum predictos extiterat assecutus, quodque ipse dubitabat nominationem et institutionem predictas ex certis causis viribus non subsistere, et per Nos accepto, quod canonicatus et prebenda nec non archidiaconatus predicti adhuc, uti prefertur, vacare noscebantur; Nos tibi per alias nostras literas dedimus in mandatis, ut, si eumdem Nicolaum per diligentem examinationem certo modo et forma tunc expressis ad hoc idoneum esse repperires, canonicatum et prebendam ac archidiaconatum predictos, sive ut prefertur, sive alias quovis modo . . . vacant, . . . dummodo predicti canonicatus et prebenda ac archidiaconatus de iure patronatus dicti Regis existerent, ipseque Nicolaus in canonicatu et prebenda

ac archidiaconatu predictis intrusus non foret, et tunc non esset in eis alicui specialiter ius quesitum, eidem Nicolao auctoritate apostolica conferres et assignares, canonicatum et prebendam ac archidiaconatum predictos dispositioni nostre camere ex tunc specialiter reservando. Cum autem predicte litere ex eo viribus non subsistant, quod, ut asseritur, canonicatus et prebenda ac archidiaconatus predicti de iure patronatus huiusmodi eiusdem regis pro tempore existentis non existunt; Nos volentes eumdem Nicolaum, qui, ut asseritur, de nobili genere procreatus existit, apud nos de nobilitate generis, vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, servata tamen alias forma dictarum aliarum literarum, canonicatum et prebendam nec non archidiaconatum predictos . . . eidem Nicolao auctoritate nostra conferas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Nonis Junii Anno Sexto.

CCCXX.

1395. 25. Junii.

Johanni Jacobi canonicatum in ecclesia Nitriensi confert.

(Anni VI. Liber f. 65.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri . . . Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Ypoliti Zoboriensis, Strigoniensis diocesis, ac Archidiacono Gradnensi in ecclesia Nitriensi, salutem etc. . . . Vite ac morum honestas aliaque laudabilia, . . . super quibus apud nos dilectus filius Johannes Jacobi, Rector altaris sancti Petri apostoli, siti in ecclesia Nitriensi, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Dudum siquidem dicto Johanni de beneficio ecclesiastico, cum cura vel sine cura, vacante vel vacaturo ad collationem . . . Venerabilis fratris nostri Episcopi et dilectorum filiorum Capituli Nitriensis . . . pertinente, etiam si canonicatus et prebenda ipsius ecclesie foret, gratiose concessimus provideri. Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Johannis petitio continebat, canonicatu et prebenda dicte ecclesie ex eo, quod dilectus filius Mathias Michaelis, frater domus sancti Pauli primi heremite sancti Laurentii prope Budam, ordinis sancti Augustini, Vesprimiensis diocesis, tunc clericus secularis existens et dictos canonicatum

et prebendam obtinens domum ipsam ingressus in ea regularem professionem per fratres dicte domus emitti consuetam emisit, vacantibus, dictus Johannes vigore huiusmodi concessionis gratie, literis apostolicis super ea non confectis, eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes et ad collationem dicti Episcopi dumtaxat pertinentes alias infra tempus legitimum acceptavit. Cum autem, sicut accepimus, canonicatus et prebenda predicti adhuc, ut prefertur, vacare noscantur, Nos volentes dicto Johanni, qui presbyter est, . . . gratiam facere specialem, Discretioni vestre mandamus, quatenus . . . canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quadraginta florenorum auri . . . valorem annuum, ut ipse Johannes asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo ... vacent, ... dummodo tempore date presentium non sit in ipsis alicui specialiter ius quesitum, eidem Johanni auctoritate nostra conferre et assignare curetis. Non obstante, quod prefatus Johannes, ut asserit, altare predictum noscitur obtinere. Volumus autem, quod, quamprimum dictus Johannes vigore presentium eosdem canonicatum et prebendam fuerit pacifice assecutus, altare predictum, quod, ut prefertur, obtinet, et quod extunc vacare decernimus, omnino, prout etiam ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur, quodque predicta concessionis gratia et quecumque inde secuta sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Julii Anno Sexto.

CCCXXI.

1395. 3. Julii.

Litem de canonicatu ecclesiæ Csazmensis inter Nicolaum de Izdencz, Cantorem eiusdem ecclesiæ, Mathiam Mathiæ et Matthiam de Moravia vertentem in favorem dignioris decidi iubet.

(Anni VI. Liber III. f. 57.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Magistro Hermanno de Dilvelt, Capellano nostro, et causarum Palatii apostolici Auditori, salutem etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Nicolai Hielkonis de Izdentz, Cantoris ecclesie Sancti Spiritus Chasmensis, Zagrabiensis diocesis, petitio continebat, quod orta dudum inter dilectos filios Mathiam Mathie et Mathiam de Moravia, clericos dicte diocesis, super canonicatu et prebenda dicte ecclesie, quos tunc per obitum quondam Andree Mikonis, ipsius ecclesie canonici, extra Romanam Curiam defuncti, vacantes Mathias Mathie se vigore quarundam literarum apostolicarum gratiose sibi conces-

sarum, prout ex ipsarum forma se posse dicebat, infra tempus debitum acceptasse et de illis sibi provisum fuisse canonice dictumque Mathiam de Moravia se gratie huiusmodi contra iustitiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus gratia predicta debitum sortiretur effectum; Mathias vero de Moravia predictus eosdem canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebant, prout adhuc asserunt, materia questionis et causa huiusmodi per appellationem dicti Mathie ad Sedem Apostolicam legitime introducta, Nos causam appellationis huiusmodi et negotii principalis tibi ad instantiam dicti Mathie Mathie audiendam commisimus et fine debito terminandum, et deinde, postquam ad nonnullos actus in causa huiusmodi inter partes ipsas processeras, Nos ad instantiam dicti Nicolai asserentis sua interesse, dictosque canonicatum et prebendam, ut premittitur, vacantes dudum auctoritate ordinaria sibi collatos se assecutum fuisse canonice, illosque extunc tenuisse et possedisse, ac nunc etiam tenere et possidere, ipsosque ad se spectare; tibi commisimus, ut eundem Nicolaum ad prosecutionem et defensionem litis et causa huiusmodi in eo statu, in quo causa ipsa tunc erat, pro sua admitteres interesse, tuque postmodum in causa ipsa ad nonnullos alios actus, citra tamen conclusionem, inter partes ipsas diceris processisse. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, a nonnullis asseratur nullum dictorum Nicolai, Mathie Mathie ac Mathie de Moravia in dictis canonicatu et prebenda ius habere, Nos statum cause huiusmodi habentes presentibus pro expresso, ac volentes illum ex eisdem Nicolao et Mathia Mathie ac Mathia de Moravia apud nos de vite ac morum honestate aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter commendatis, qui ad hoc idoneus et sufficientior existit, favore prosequi gratioso, Discretioni tue committimus et mandamus, quatenus, si per eventum litis huiusmodi tibi constiterit, nulli Nicolai et Mathie Mathie ac Mathie de Moravia predictorum in dictis canonicatu et prebenda seu ad eos ius competere, prefatos canonicatum et prebendam, quorum fructus... quadraginta florenorum auri... valorem annuum, ut ipse Nicolaus asserit, non excedunt, sive, ut premittitur, sive alias quovis modo vacent,... dummodo tempore date presentium non sit in eisdem canonicatu et prebenda alicui specialiter ius quesitum, illi ex dictis Nicolao et Mathia Mathie ac Mathia de Moravia, quem per diligentem examinationem ad hoc idoneum et sufficientiorem esse reppereris, auctoritate nostra conferas et assignes. Non obstantibus, quod idem Nicolaus, ut asserit, cantoriam eiusdem ecclesie Sancti Spiritus, cuius fructus... etiam quadraginta florenorum auri ... valorem annuum non excedunt, obtinet et nos dudum sibi de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie Zagrabiensis

gratiose concessimus provideri. Volumus autem, prout dictus Nicolaus id sponte voluit, quod, si canonicatum et prebendam ecclesie Sancti Spiritus predictos eidem Nicolao per te presentium vigore conferri contigerit, ut prefertur, predicta concessionis gratia et quecumque inde secuta sint cassa et irrita nulliusque roboris vel momenti. Volumus etiam, quod, si dictos canonicatum et prebendam per te presentium vigore conferri contingat, ut prefertur, de nomine et cognomine illius, cui ipsos conferes, et de die collationis huiusmodi gentes Camere apostolice quantocius certificare procures. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Nonas Julii Anno Sexto.

CCCXXII.

1395. 23. Septembris.

Johanni Martini beneficium in diœcesi Waradiensi confert.

(Anni VI. Liber V. f. 61.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Martini, clerico Colocensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia, . . . super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem beneficium ecclesiasticum sine cura, cuius fructus . . . decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedant, ad collationem . . . Venerabilis fratris nostri Episcopi Waradiensis pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non existat, si quod in ecclesia Waradiensi vacat, ad presens, vel cum vacaverit, quod tu infra unius mensis spatium, postquam tibi vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandum, conferendum tibi donationi apostolice reservamus. Non obstante, quod nos hodie tibi de canonicatu sub expectatione prebende ecclesie beate Marie Virginis Waradiensis gratiose concessimus provideri. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nono Kalendas Octobris Anno Sexto.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Tudensi et dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Johannis ac Preposito ecclesie sancti Stephani, Waradiensis diocesis, salutem etc. . . . Datum ut supra.

CCCXXIII.

1395. 6. Octobris.

Lucæ Præposito ecclesiæ Vetero-Budensis electo Episcopo Csanadiensi, ut præposituram cum officio Cancellarii studii Budensis retinere possit, indulget.

(Bullæ Bonifacii IX. p. 131. Fejér. Codex Diplom. T. X. V. II. p. 315.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Luce, electo Cenadiensi, salutem . . . Hodie siquidem ecclesie Cenadiensi, pastore carente, de persona tua, nobis et fratribus nostris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica duximus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et pastorem, prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Nos igitur, volentes eandem personam tuam favore prosequi gratioso, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, ut preposituram ecclesie sancti Petri de Veteri Buda, Vesprimiensis diocesis, que dignitas unica et principalis in dicta ecclesia sancti Petri existit, et ad quam consveverit quis per electionem assumi, quam obtines, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, . . . quoad vixeris, unacum predicta Cenadiensi vel alia ecclesia, ad quam te forsan transferri contigerit, etiam post munus consecrationis a te suscipiendum . . . retinere . . . et officium Cancellarie studii dicti oppidi Veteris Bude exercere licite valeas, non obstantibus, quod in aliqua facultate doctor non existas, ac Lateranensis Concilii et aliis constitutionibus . . . Devotioni tue tenore presentium indulgemus; provisuro, quod prepositura ipsa debitis non fraudetur obsequiis, et animarum cura in ea nullatenus negligatur . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Nonas Octobris Anno Sexto.

CCCXXIV.

1395. 6. Octobris.

Episcopo Jauriensi contra detentores bonorum ecclesiæ suæ defensores et protectores constituit.

(Anni VI. Liber V. f. 257.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Strigoniensi et Episcopo Vesprimiensi ac dilecto filio Abbati Monasterii sancti Martini

de Sacromonte Pannonie, Jauriensis diocesis, salutem etc. Ad hoc nos Deus pretulit etc. Sane Venerabilis fratris nostri Johannis, Episcopi Jauriensis, conquestione percepimus, quod nonnulli Archiepiscopi, Episcopi aliique ecclesiarum prelati et clerici ac ecclesiastice persone tam religiose, quam seculares nec non duces, marchiones, comites, barones, nobiles, milites et laici, communia civitatum, universitates opidorum, castrorum, villarum et aliorum locorum et alie singulares persone civitatum et diocesum et aliarum partium diversarum occuparunt et occupari fecerunt castra, villas et alia loca, terras, domos, possessiones, iura et iurisdictiones, nec non fructus, redditus et proventus dicti Episcopi et nonnulla alia bona mobilia et immobilia, spiritualia et temporalia ad mensam episcopalem Jauriensem spectantia et ea dimittente (sic rectius detinent) indebite occupata etc. Presentibus post quinquennium minime valituris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Nonas Octobris Anno Sexto.

CCCXXV.

1395. 17. Octobris.

Johanni Jacobi, canonico Quinqueecclesiensi, ut fructus beneficiorum etiam absens percipere possit, indulget.

(Anni VI. Liber LIII. f. 263.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Jacobi, canonico Quinqueecclesiensi, salutem . . . Tibi indulgemus, ut literarum studio in loco, ubi illud vigeat generale, . . . seu servitiis . . . Sigismundi Regis . . . insistendo, aut in Romana Curia seu aliquo beneficiorum tuorum residendo, fructus . . . omnium beneficiorum tuorum . . . percipere valeas, quotidianis distributionibus exceptis . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sextodecimo Kalendas Novembris Anno Sexto.

Simili modo. Venerabilibus fratribus Archiepiscopo Strigoniensi et Episcopo Cenadiensi ac dilecto filio Abbati Monasterii Pech-Waradiensis, Quinqueecclesiensis diocesis, . . . Datum ut supra.

CCCXXVI.

1395. 19. Octobris.

Georgio Galli, Custodi ecclesiæ Quinqueecclesiensis, ut fructus beneficiorum suorum etiam absens percipere possit, indulget.

(Anni VI. Liber CXXXIX. f. 149.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Georgio Galli, Custodi ecclesie Quinqueecclesiensis, salutem etc. Laudabilia probitatis etc. Hinc est, quod nos Carissimi in Christo filii nostri Sigismundi, regis Ungarie Illustris, super hoc pro te dilecto familiari suo nobis humiliter supplicantis atque tuis supplicationibus inclinati, tibi . . . indulgemus, ut eiusdem Regis vel Venerabilis fratris nostri Johannis, Episcopi Zagrabiensis, obsequiis aut litterarum studio in loco, ubi illud vigeat generale, insistendo, vel in aliquo beneficiorum tuorum ecclesiasticorum residendo, fructus . . . canonicatus et prebende ac custodie ecclesie Quinqueecclesiensis et aliorum quorumcumque beneficiorum tuorum ecclesiasticorum . . . quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis percipere valeas . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Quartodecimo Kalendas Novembris Pontificatus nostri Anno Sexto.

Simili modo. Venerabilibus fratribus Aquensi et Zagrabiensi Episcopis ac dilecto filio Abbati Monasterii Pech-Waradiensis, Quinqueecclesiensis diocesis, salutem. Datum ut supra.

CCCXXVII.

1395. 24. Octobris.

Mattheo Andreæ beneficium in diœcesi Transilvana confert.

(Anni VI. Liber V. f. 215.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Matheo Andree, clerico Transilvane diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas aliaque laudabilia, . . . super quibus apud nos fidedigno commendaris testimonio, nos inducunt ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Volentes itaque tibi . . . gratiam facere specialem beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius fructus, . . . si cum cura vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et

octo marcharum argenti ... valorem annuum non excedant, ad collationem ... Venerabilis fratris nostri Episcopi Transilvani et dilectorum filiorum Prepositi, Decani, Thesaurarii, Scolastici, Cantoris, Archidiaconorum et Capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Transilvane etiam ratione dignitatum, personatuum, administrationis vel officiorum, que in ipsa ecclesia obtinent, coniunctim vel divisim pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non existat, si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, quod tu ... infra unius mensis spatium, postquam tibi vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandum, conferendum tibi post acceptationem huiusmodi cum omnibus iuribus et pertinentiis suis donationi apostolice reservamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nono Kalendas Novembris Anno Sexto.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Perusino et dilectis filiis Abbati Monasterii beate Marie in Candelis, Strigoniensis diocesis, ac Archidiacono de Cluswar in ecclesia Transilvana salutem ... Datum ut supra.

CCCXXVIII.

1395. 4. Novembris.

Lucæ, electo Episcopo Csanádiensi, credita et debita prædecessoris pro ecclesia Csanádiensi exigendi concedit facultatem.

(Bullæ Bonifacii IX. T. IV. p. 1. Fejér. Codex Diplom. T. X. V II. p. 317.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Luce electo Cenadiensi, salutem ... Cum omnia bona, credita et debita, que bone memorie Joannes Episcopus Cenadiensis, predecessor tuus immediatus, tempore obitus sui habebat, ... ad ecclesiam tuam Cenadiensem pertinere noscantur; nos, volentes indemnitati eiusdem ecclesie salubriter providere, tibi huiusmodi bona, credita et debita, ... per quascumque detineantur seu debeantur personas, super quibus summarie, simpliciter et de plano, sine strepitu et figura iudicii te informes, nomine dicte ecclesie tue ... exigendi et recipiendi ... contradictoresque quoslibet et rebelles, cuiuscumque status ... existant ... auctoritate nostra per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis, ... plenam et liberam ... concedimus potestatem ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Nonas Novembris Pontificatus nostri Anno Sexto.

ANNUS SEPTIMUS.

1395. 9. NOVEMBRIS—1396. 8. NOVEMBRIS.

CCCXXIX.

1395. 29. Novembris.

Episcopatum Sydoniensem Benedicto de Quinqueecclesiis, origine Hungaro, confert.

(Anni VII. Liber LXII. f. 83.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Benedicto de Quinqueecclesiis, Electo Sydoniensi salutem etc. Apostolatus officium, quamquam insufficientibus meritis, nobis ex alto commissum, quo ecclesiarum omnium regimini presidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes soliciti corde reddimur et solertes, ut, cum de ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores preficere studeamus, qui commissum sibi gregem dominicum sciant non solum doctrina verbi, sed exemplo boni operis informare, commissasque sibi ecclesias in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, duce Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Dudum siquidem bone memorie Petro Episcopo Sydoniensi, regimini ecclesie Sydoniensis presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum ipsam vacare contingeret, per Apostolice Sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari. Postmodum vero dicta ecclesia per eiusdem Petri Episcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta ad provisionem eiusdem ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et solicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo eidem ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus, diligentem demum ad te ordinis fratrum Heremitarum sancti Augustini professorem, in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, litterarum scientia, vite munditia, morum honestate aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre

mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie de eorundem fratrum nostrorum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias et largitur premia, confidentes, quod prefata ecclesia sub tuo felici regimine gratia tibi assistente divina prospere dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa. Volumus autem, quod, quamprimum presentes litteras habueris expeditas, ad dictam ecclesiam accedas et resideas personaliter in eadem, quodque extra tuas civitatem et diocesim Sydoniensem pontificalia officia nequeas exercere. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipiens curam et administrationem predictas sic exercere studeas solicite, fideliter et prudenter, quod ecclesia ipsa gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque preter eterne retributionis premium nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Kalendas Decembris Anno Septimo.

CCCXXX.

1395. 29. Decembris.

Ut Michael Petri canonicatum in ecclesia b. Mariæ Virginis Albæ-Regalensi assequatur, procurat.

(Anni VII. Liber LXI. f. 33.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Preposito ecclesie Strigoniensis salutem etc. ... Volentes igitur dilectum filium Michaelem Petri, clericum Quinqueecclesiensis diocesis, ... favore prosequi gratioso, Discretioni tue ... mandamus, quatenus ... ei de canonicatu sancte Marie Alberegalis, Vesprimiensis diocesis, ... provideas ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Quarto Kalendas Januarii Anno Septimo.

CCCXXXI.

1396. 18. Januarii.

Canonicatum ecclesiæ b. Mariæ V. Albæ Regalis Jacobo Rufo denuo confert.

(Anni VII. Liber VII. f. 179.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Andree Blasii, canonico Transilvano, salutem etc. Dignum arbitramur etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Jacobi Andree dicti Ruffi, presbiteri Vesprimiensis diocesis, petitio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie beate Marie Alberegalis, dicte diocesis, per liberam resignationem dilecti filii Martini Pauli, tunc canonici ipsius ecclesie per eum de illis in manibus bone memorie Demetrii, tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbiteri Cardinalis, tunc in partibus illis Apostolice Sedis legati ac administratoris ecclesie Vesprimiensis in spiritualibus et temporalibus per dictam Sedem deputati, extra Romanam Curiam sponte factam et per eundem Cardinalem tunc administratorem ... admissam vacantibus dilectus filius Johannes Prepositus eiusdem ecclesie, cum ad Prepositum ipsius ecclesie pro tempore existentem ipsorum canonicatus et prebende collatio ... de antiqua et approbata et hactenus pacifice observata consuetudine pertineat, eosdem canonicatum et prebendam sic vacantes prefato Jacobo auctoritate ordinaria contulit, ... idemque Jacobus canonicatum et prebendam predictos ... extitit assecutus. Cum autem ... prefatus Jacobus dubitet, collationem et provisionem predictas ... viribus non subsistere, et ... dicti canonicatus et prebenda adhuc ... vacare noscantur, Nos volentes eundem Jacobum apud nos de vite ac morum ... honestate commendatum ... favore prosequi gratioso, Discretioni tue ... mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem ipsum Jacobum ad hoc ydoneum esse reppereris, ... canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus ... septuaginta florenorum auri ... valorem annuum ... non excedunt, ... eidem Jacobo ... conferre et assignare procures. ... Contradictores auctoritate nostra ... Non obstantibus, ... quod idem Jacobus, ut asserit, super prepositura, lectoratu, seu magistratu nuncupata, ecclesie sancti Nicolai extra muros Alberegalis, eiusdem diocesis, et super altari sancte Trinitatis, sito in dicta ecclesia beate Marie, quod sine cura est, et quorum fructus ... centum et vigintiquinque marcharum

argenti puri ... valorem annuum non excedunt, in Palatio apostolico noscitur litigare ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Quintodecimo Kalendas Februarii Anno Septimo.

CCCXXXII.

1396. 24. Januarii.

Paulum antea Archidiaconum de Kölesér, Capituli Waradiensis concordi voce in eiusdem ecclesiæ episcopum electum, electione rescissa ipse denominat in Episcopum Waradiensem.

(Anni VII. Liber LXII. f. 91 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Paulo, Electo Waradiensi, salutem etc. Divina disponente clementia etc. Dudum siquidem bone memorie Johanne Episcopo Waradiensi regimini Waradiensis ecclesie presidente, Nos cupientes eidem ecclesie, cum vacaret, per Apostolice Sedis providentiam utilem et ydoneam presidere personam, provisionem eiusdem ecclesie ordinationi et dispositioni nostre duximus ea vice specialiter reservandam, decernentes extunc irritum et inane, si secus super hiis per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari. Postmodum vero prefata ecclesia per obitum ipsius Johannis Episcopi, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacante, dilecti filii Capitulum eiusdem ecclesie reservationis et decreti predictorum forte ignari, te Archidiaconum de Kulasar in eadem, in presbyteratus ordine constitutum, in Waradiensem Episcopum, licet de facto, concorditer elegerunt, tuque postmodum electioni huiusmodi, illius tibi presentato decreto, consensisti, etiam de facto, et demum reservatione et decreto predictis ad tuam deductis notitiam huiusmodi electionis negotium proponi fecisti in consistorio coram nobis. Nos igitur electionem predictam et quecumque inde secuta, utpote post et contra reservationem et decretum predicta de facto, ut premittitur, attemptata, irrita, prout erant, et inania reputantes et ad provisionem ipsius ecclesie celerem et felicem, de qua nullus preter nos hac vice se intromittere potuit, neque potest, reservatione et decreto obsistentibus supradictis, ne ecclesia ipsa longe vacationis exponeretur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de preficiendo prefate ecclesie personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus, diligentem demum ad te literarum scientia preditum, vite ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum

et temporalibus circumspectum ac aliis multiplicium virtutum donis, prout ex fidedignorum testimoniis percepimus, insignitum direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus nec non dictorum Capituli te eligentium concordi voluntate attenta meditatione pensatis, de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem ecclesie de dictorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Episcopum et pastorem curam et administrationem ipsius ecclesie tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, in illo, etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nono Kalendas Februarii Anno Septimo.

Simili modo. Dilectis filiis Capitulo ecclesie Waradiensis salutem etc.

Simili modo. Dilectis filiis populo civitatis et diocesis Waradiensis, salutem etc....

Simili modo. Dilectis filiis Clero civitatis et diocesis Waradiensis, salutem etc....

Simili modo. Dilectis filiis universis vassallis ecclesie Waradiensis, salutem etc.

Simili modo. Venerabili fratri Archiepiscopo Colocensi salutem.

Simili modo. Carissimo in Christo filio Sigismundo, Regi Ungarie Illustri, salutem et. ... Datum ut supra.

CCCXXXIII.

1396. 28. Januarii.

Litem contra Thomam, Thesaurarium ecclesiæ Csazmensis, homicidii accusatum, reassumi et criminis veritate experta thesaurariam Johanni Jacobi conferri præcipit.

(Anni VII. Liber VII. f. 81 b.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Nicolao Episcopo Ferentinati, in Romana Curia commoranti, salutem etc. Vite ac morum honestas, ... super quibus apud nos dilectus filius Johannes Jacobi, presbiter Zagrabiensis diocesis, fidedigno ... nos inducunt ... Dudum ad audientiam nostram deducto, quod dilectus filius Thomas Brumeni, tunc canonicus et Thesaurarius ecclesie Sancti Spiritus Chasmensis, dicte diocesis, diabolico spiritu instigatus quondam Petrum Wolsconis laicum inhumaniter interfecerat, Nos attendentes, quod, veris existentibus supradictis, idem Thomas canonicatu et prebenda ac Thesauraria dicte ecclesie, quos tunc temporis obtinebat, reddiderat se indignum; Venerabili fratri nostro Episcopo Zagrabiensi eius

proprio nomine non expresso per quasdam nostras literas commisimus, ut vocatis eodem Thoma et aliis, qui forent evocandi, super premissis summarie . . . inquireret . . . diligentius veritatem, et si . . . repperiret, eundem Thomam huiusmodi homicidium perpetrasse, ipsum canonicatu et prebenda ac thesauraria sententialiter privaret et amoveret realiter ab eisdem, et, si dictum Thomam prefatis canonicatu et prebenda per eum . . . privari . . . contigeret, eosdem . . . dilecto filio Nicolao Johannis clerico, dicte diocesis, . . . conferret . . . Et deinde pro parte dicti Nicolai nobis exposito, quod cum predictus Episcopus . . . vices suas dilectis filiis Johanni Lantzellotti, eius Vicario in spiritualibus generali, et Johanni Crispi, Archidiacono in Kemluch in ecclesia Zagrabiensi, coniunctim et totaliter commisisset, ipsique Johannes Lantzellotti et Johannes Crispi . . . in ipsa causa procedere recusassent, super hoc per ipsum Nicolaum . . . humiliter requisiti, Nos causam huiusmodi dilecto filio nostro Valentino tituli sancte Sabine presbitero Cardinali, tunc in Regno Ungarie commoranti, primo et deinde . . . tibi, tunc Capellano nostro et causarum Palatii apostolici Auditori, ad instantiam dicti Nicolai audiendam commiseramus et fine debito terminandam. Non obstantibus, quod causa ipsa de sui natura ad Romanam Curiam legitime devoluta et apud eam tractanda et finienda non esset . . . Nos tibi . . . mandavimus, ut vocatis eodem Thoma et aliis, qui forent evocandi, in huiusmodi causa procederes . . . Et deinde pro parte dicti Thome nobis exposito, quod tu . . . in huiusmodi inquisitionis negotio ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, dicebaris processisse, quodque idem Thomas de huiusmodi homicidio innocens existebat, et de huiusmodi eius innocentia clarius in partibus illis, in quibus huiusmodi pretensum homicidium iam quindecim elapsis annis asserebatur esse commissum, quam alibi, poterat veritas indagari, Nos tibi per alias nostras literas dedimus in mandatis, ut vocatis eodem Nicolao, qui in dicta Curia, ut dicebatur, morabatur et aliis, qui forent evocandi, nisi idem Nicolaus prefatam Thomam super homicidio huiusmodi vellet coram te accusare, et se ad penam tallionis in forma iuris inscribere, ipsumque coram te accusaret, et ad penam huiusmodi in eadem forma iuris inscriberet, ulterius in huiusmodi causa minime procederes, sed ipsum Thomam ab impositis huiusmodi . . . sententialiter absolveres . . . Postmodum vero, sicut exhibita nobis nuper pro parte dicti Johannis petitio continebat, olim pro eius parte nobis exposito, quod idem Thomas, postquam tu . . . ad nonnullos actus . . . processeras, timens de huiusmodi homicidio sententialiter convinci, cum

ipso Nicolao taliter colluserat, quod prefatus Thomas canonicatum et prebendam predictos ad effectum, quod ipsi Nicolao conferrentur, prout postmodum collati fuerunt, resignaret, prout resignavit, ipseque Nicolaus se super premissis non inscriberet, nec ulterius prefatum Thomam super ipsa thesauraria ulterius inquietaret, ymo omni iuri sibi in dicta thesauraria seu ad eam quomodolibet competenti cederet, et quod de collusione huiusmodi constabat per publica documenta, ipseque Nicolaus ius huiusmodi in manibus tuis libere et sponte resignaverat, tuque diffinitivam per quam, ut credebatur, ex eo, quod idem Nicolaus propter collusionem huiusmodi se inscribere noluerat, ut prefertur, eundem Thomam inter cetera ab huiusmodi sibi impositis absolveras, sententiam promulgaras, et quod prefatus Thomas homicidium huiusmodi revera commiserat, eratque res mali exempli, si per talem presumptam collusionem tantum facinus transiret impunitum, Nos tibi, ut si prefatus Johannes vellet dictum Thomam super premissis accusare, et se in forma iuris inscribere, ac cum effectu inscriberet et accusaret, huiusmodi inquisitionis negotium in eo statu, in quo tempore dicte resignationis per ipsum Nicolaum . . . facte remanserat, resumeres dictumque Johannem Jacobi ad prosequendum ulterius predictum inquisitionis negotium admitteres, et alias in eodem negotio inquisitionis iuxta tenorem dicte prime commissionis ad instantiam dicti Nicolai per nos, ut premittitur, tibi facte diceris processisse. Nos itaque statum premissorum habentes presentibus pro expresso, ac dicto Johanni . . . specialem gratiam facere volentes, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si dictus Johannes legitime probaverit prefatum Thomam homicidium predictum commississe, ac propterea te ipsum Thomam dicta thesauraria sententialiter privare et ab ea amovere contigerit eandem thesaurariam, cuius fructus . . . vigintiquinque marcharum argenti puri . . . valorem annuum . . . non excedunt, cum per huiusmodi privationem vacaverit . . . prefato Johanni . . . conferas et assignes. Inducens . . . eundem . . . in corporalem possessionem thesaurarie iuriumque . . . Contradictores etc. Non obstantibus, . . . quod idem Johannes super parochiali ecclesia sancti Nicolai de Podagoria in Palatio predicto noscitur litigare. Volumus autem, quod idem Johannes, quamprimum . . . thesaurariam predictam fuerit pacifice assecutus, eandem parochialem ecclesiam, si illam interim evincat . . . omnino, prout ad id etiam se sponte obtulit, dimittere, alioquin omni iuri sibi in ea seu ad eam quomodolibet competenti cedere teneatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Kalendas Februarii Anno Septimo.

CCCXXXIV.

1396. 27. Martii.

Egidium, Custodem Monasterii de sacromonte Pannoniæ, in Abbatem Monasterii s. Andreæ Visegradensis præficit.

(Anni VII. Liber LXII. f. 57.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Egidio, Abbati Monasterii sancti Andree Vissegradensis, ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. . . . Dudum siquidem quondam Tederico, Abbate Monasterii sancti Andree Vissegradensis, ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis, regimini ipsius Monasterii presidente, Nos cupientes eidem monasterio, cum vacaret; per Apostolice Sedis providentiam utilem et ydoneam preesse personam, provisionem eiusdem Monasterii ordinationi nostre duximus ea vice specialiter reservandam. . . . Postmodum vero prefato Monasterio per eiusdem Tederici Abbatis obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, Abbatis regimine destituto, Nos vacatione huiusmodi fidedignis relatibus intellecta . . . post deliberationem, quam cum fratribus nostris habuimus, diligentem demum ad te Custodem Monasterii sancti Martini de Sacromonte Pannonie, dicti ordinis, Jauriensis diocesis, ordinem ipsum expresse professum et in sacerdotio constitutum, cui de religionis zelo, literarum scientia, vite munditia, honestate morum, spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicium virtutum donis apud nos fidedigna testimonia perhibentur, direximus oculos nostre mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis de persona tua, nobis et eisdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Monasterio sancti Andree de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi preficimus in Abbatem curam et administrationem ipsius Monasterii sancti Andree tibi in spiritualibus plenarie commitendo. Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Kalendas Aprilis Anno Septimo.

Simili modo. Dilectis filiis Conventui Monasterii sancti Andree Vissegradensis, ordinis Sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis. Datum ut supra.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Vesprimiensi. Datum ut supra.

CCCXXXV.

1396. 28. Martii.

Andreæ de Lucska beneficium in dioecesi Nitriensi confert.

(Anni VII. Liber LXII. f. 186.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Andree Petri de Luczka, presbytero Nitriensis diocesis, salutem etc.

Vite ac morum honestas . . . liberales. Volentes itaque tibi premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius fructus, . . . si cum cura, vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedant, ad collationem . . . Venerabilis fratris nostri Episcopi Nitriensis pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non fuerit, conferendum tibi reservamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Quinto Kalendas Aprilis Anno Septimo.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Perusino et dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Benedicti in Scala, Nitriensis diocesis, ac Archidiacono Trincunensi in ecclesia Nitriensi salutem etc. Datum, ut supra.

CCCXXXVI.

1396. 7. Aprilis.

Parochialem ecclesiam de Panyit Conrado Brixener, canonico Colocensi, confert.

(Anni VII. Liber LVII. f. 196.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Tudensi et Sabinicensi Episcopis ac dilecto filio Abbati Monasterii de Pilisio, Vesprimiensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . super quibus apud nos dilectus filius Conradus Ulrici Brixener, canonicus Colocensis, fidedigno commendatur testimonio, nos inducunt, ut sibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, sicut accepimus, parochialis ecclesia sancti Stephani Regis in Panith, Strigoniensis diocesis, quam quondam Henricus ultimus ipsius

ecclesie Rector, dum viveret, obtinebat, per ipsius Henrici obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, Nos volentes eidem Conrado gratiam facere specialem, Discretioni vestre mandamus, quatenus prefatam ecclesiam, cuius fructus . . . quinquaginta florenorum auri valorem annuum, ut ipse Conradus asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo . . . vacet . . . eidem Conrado autoritate nostra conferre et assignare curatis, ... Non obstante, quod idem Conradus, ut asserit, canonicatum et prebendam ecclesie Colocensis noscitur obtinere. Volumus autem, quod ipse Conradus, quamprimum vigore presentium parochialem ecclesiam predictam fuerit pacifice assecutus, eosdem canonicatum et prebendam, quos, ut prefertur, obtinet, et quos extunc vacare decernimus, omnino, prout etiam ad id se sponte obtulit, dimittere teneatur. Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Idus Aprilis Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCXXXVII.

1396. 7. Aprilis.

Stephano Thomæ canonicatum in ecclesia Nitriensi confert.

(Anni VII. Liber LX. f. 61.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancti Ipoliti de Zobor, Strigoniensis diocesis, salutem etc. Dignum arbitramur etc. Volentes igitur dilectum filium Stephanum Thome, clericum Nitriensis diocesis, apud nos de vite ac morum honestate . . . multipliciter commendatum horum intuitu favore prosequi gratioso, Discretioni tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem ipsumStephanum ad hoc ydoneum esse reppereris, ei de canonicatu ecclesie Nitriensis provideas, et si ipsum Stephanum ad obtinendum dignitatem vel personatum seu curatum officium in eadem ecclesia ydoneum esse reppereris, ... prebendam nec non dignitatem, vel personatum seu officium, cum cura vel sine cura ipsius ecclesie, dummodo dignitas ipsa maior post pontificalem in dicta ecclesia non existat, et si forsan ita esse non inveneris, dummodo ipsum alias per eamdem examinationem ad obtinendum prebendam et officium sine cura ydoneum esse reppereris, super quibus tuam conscientiam oneramus, huiusmodi prebendam et officium sine cura dumtaxat, si que aut si qui vel si qua in dicta ecclesia

vacant ad presens, vel cum vacaverint, quas vel quos seu que idem Stephanus infra unius mensis spatium, postquam vacatio illorum innotuerit, duxerit acceptandas vel acceptandos seu acceptanda, conferendas vel conferendos seu conferenda dicto Stephano post acceptationem huiusmodi donationi tue auctoritate nostra reserves . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Idus Aprilis Anno Septimo.

CCCXXXVIII.

1396. 12. Aprilis.

Regimen Monasterii s. Egidii de Somogyvár Paulo, electo Episcopo Jerosolviensi, committit.

(Anni VII. Liber LXII. f. 71 t.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Paulo Electo Jeroslaviensi ac Monasterii sancti Egidii de Simigio, ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis, in spiritualibus et temporalibus administratori per Sedem Apostolicam deputato, salutem etc. Summi dispositione rectoris ad regimen universalis ecclesie deputati curis assiduis angimur etc. . . . et quod personarum, que pontificalis titulo pie fulgent dignitatis, prout temporum et locorum qualitas exigit, indigentiis consulamus. Cum itaque Monasterium sancti Egidii de Simigio, ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis, ex eo sit Abbatis regimine destitutum, quod nos hodie de persona tua, tunc dicti Monasterii Abbate, ecclesie Jerosolviensis, tunc certo modo vacanti, de fratrum nostrorum consilio duximus providendum, preficiendo te illi in Episcopum et Pastorem, nos attendentes, quod fructus, redditus et proventus ad mensam tuam Episcopalem Jeroslaviensem spectantes adeo sunt exiles, quod ex eis statum tuum iuxta meritorum tuorum et episcopalis dignitatis condecentiam commode tenere non valeas, et quod tu eidem Monasterio, cuius regimini hactenus laudabiliter prefuisti, per tue circumspectionis industriam in spiritualibus et temporalibus esse poteris multipliciter fructuosus, ac volentes propterea tam tibi, ut ipsum statum decenter tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio, quam eidem Monasterio de gubernatore secundum cor nostrum ydoneo, per quem circumspecte dirigi et salubriter gubernari valeat, providere motu proprio non ad tuam vel alterius pro te nobis super hoc oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate prefatum Monasterium sic vacans cum omnibus iuribus et perti-

nentiis suis tibi per te, quoad vixeris, et eidem ecclesie prefueris, unacum dicta ecclesia tenendum, regendum et gubernandum tam in spiritualibus, quam temporalibus apostolica auctoritate commendamus, curam, regimen et administrationem ipsius Monasterii tibi in eisdem spiritualibus et temporalibus plenarie committentes. Ita, quod debitis et consuetis ipsius Monasterii oneribus supportatis liceat tibi de residuis fructibus, redditibus et proventibus ad ipsum monasterium spectantibus, huiusmodi commenda durante, libere disponere et ordinare, sicut veri Abbates ipsius Monasterii, qui pro tempore fuerunt, de illis disponere et ordinare consueverunt, potuerunt et debuerunt, alienatione tamen bonorum immobilium et pretiosorum mobilium ipsius Monasterii tibi penitus interdicta. Volumus autem, quod propter commendam huiusmodi cultus divinus ac monachorum et aliorum ministrorum numerus in eodem Nonasterio nullatenus minuatur. Quocirca Discretioni tue . . . mandamus, quatenus regimen, curam et administrationem huiusmodi ipsius Monasterii sic geras solicite, fideliter et prudenter, quod ipsum Monasterium gubernatori utili gaudeat se commissum, tuque preter eterne retributionis premium, quod exinde mereberis, nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam uberius consequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Secundo Idus Aprilis Anno Septimo.

Simili modo. Dilectis filiis Conventui Monasterii sancti Egidii de Simigio, ordinis sancti Benedicti, Vesprimiensis diocesis. Datum ut supra.

Simili modo. Venerabili fratri Episcopo Vesprimiensi. Datum ut supra.

CCCXXXIX.

1396. 21. Aprilis.

Antonio Petri parochialem ecclesiam s. Laurentii de Diaco, Bosnensis diocesis confert.

(Regesta Vatic. Anni VII. Lib. VII. f. 42.)

Bonifacius etc. Dilecto filio lectori ecclesie Boznensis salutem etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Antonii Petri Presbiteri Zagrabiensis diocesis petitio continebat, quod olim parochiali ecclesia sancti Laurentii Martiris de Diaco Boznensis diocesis, quam quondam Johannes Milse, ultimus ipsius ecclesie Rector, dum viveret, obtinebat, per ipsius Johannis obitum . . . vacante, Venerabilis frater noster Johannes Episcopus Boznensis ecclesiam predictam sic vacantem eidem Antonio,

auctoritate ordinaria, contulit et de illa etiam providit. Cum autem ... prefatus Antonius dubitet collationem et provisionem predictas ... viribus non subsistere, discretioni tue ... mandamus, quatenus si ... prefatum Antonium ... idoneum ad dictam ecclesiam obtinendum esse repperis ... ecclesiam predictam, cuius fructus ... quadraginta florenorum auri ... valorem annuum ... non excedunt ... eidem Antonio, dummodo ipse in dicta ecclesia non fuerit intrusus, ... auctoritate nostra conferas et assignes ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Undecimo Kalendas Maii Anno Septimo.

CCCXL.

1396. 22. Aprilis.

Omne ius, si quod Bartholomæo Cardinali vita functo ad canonicatum Waradiensem et archidiaconatum Bihariensem competebat, Raynaldo, tituli s. Viti in Marcello Cardinali, in lite coram auditore Palatii apostolici agitata conferri præcipit.

(Anni VII. Liber LX f. 347.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Bertrando Episcopo Eugubiensi, in Romana Curia commoranti, salutem etc. Dum exquisitam dilecti filii nostri Raynaldi, sancti Viti in Marcello diaconi Cardinalis, circumspectionis industriam diligenter attendimus etc. ... dignum reputamus et debitum, ut etiam sibi reperiat in exhibitione gratiarum munificam et in suis opportunitatibus liberalem. Nuper siquidem ad nostram notitiam fuit deductum, quod orta dudum inter Bartholomeum, tituli sancte Pudentiane presbyterum Cardinalem, et dilectos filios Laurentium Holaeli et Ladislaum de Waradia, qui se gerunt pro presbyteris Waradiensis diocesis, super canonicatu et prebenda ecclesie Waradiensis ac archidiaconatu Bihoriensi in eadem ecclesia de quibus, tunc per obitum quondam Michaelis de Castroferreo ipsius ecclesie canonici ac archidiaconi Bihoriensis in eadem ecclesia, extra dictam Curiam defuncti, vacantibus Bartholomeus Cardinalis sibi auctoritate apostolica gratiose et canonice mandatum fuisse provideri, ipsosque canonicatum et prebendam ac archidiaconatum vigore gratie et mandati huiusmodi sibi deberi, dictosque Laurentium et Ladislaum se gratie et mandato huiusmodi contra iustitiam opposuisse et opponere ac fecisse et facere, quominus eidem Bartholomeo Cardinali de dictis canonicatu et prebenda ac archidiaconatu provideretur, et quominus gratia et man-

datum huiusmodi debitum sortiantur effectum, Laurentius vero et Ladislaus predicti, quilibet videlicet ipsorum, eosdem canonicatum et prebendam ac archidiaconatum ad se de iure spectare asserebant, prout ipsi Laurentius et Ladislaus adhuc asserunt communiter et divisim, materia questionis, Nos causam huiusmodi non obstante, quod de sui natura ad eandem Curiam legitime devoluta et apud eam tractanda et finienda non esset, ad dicti Bartholomei Cardinalis instantiam dilecto filio Magistro Paulo de Dugnano, Capellano nostro, et causarum Palatii Apostolici Auditori, primo et deinde, postquam per ipsum Paulum Auditorem in causa huiusmodi ad nonnullos actus inter partes ipsas processum fuerat, tibi, tunc Capellano nostro et causarum dicti Palatii Auditori, audiendam commisimus et fine debito terminandam, tuque in dicta causa ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, diceris processisse. Cum autem, sicut accepimus, prefatus Bartholomeus Cardinalis, qui in regno Sicilie et terris citra Farum Apostolice Sedis legatus existens, lite huiusmodi coram te pendente indecisa, extra dictam Curiam fuerit vita functus, Nos cause huiusmodi statum habentes presentibus pro expresso et ne dictos canonicatum et prebendam ac archidiaconatum absque canonico titulo detineri contingat, si lis huiusmodi careat legitimo defensore, qui tueatur eandem, ac prefato Raynaldo Cardinali, ut expensarum onera, que ipsum oportet continuo subire, commodius supportare valeat, de alicuius subventionis auxilio providere, gratiamque specialem facere volentes, motu proprio, non ad ipsius Raynaldi Cardinalis vel alterius pro eo super hoc nobis oblate petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate Fraternitati tue, qui adhuc locum unius ex Auditoribus causarum dicti Palatii de speciali mandato nostro tenes, . . . mandamus, quatenus dictum Raynaldum Cardinalem, dummodo ipse in canonicatu et prebenda ac archidiaconatu predictis, quorum fructus . . . ducentorum florenorum auri valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, non fuerit intrusus, in omni iure et ad omne ius, quod predicto Bartholomeo Cardinali in ipsis canonicatu et prebenda ac archidiaconatu, etiam si archidiaconatus ipse curatus et dignitas maior post pontificalem in dicta ecclesia aut personatus vel officium existat, et ad eum consueverit quis per electionem assumi, seu ad eos quomodolibet competebat aut competere poterat, auctoritate nostra surroges, dictumque ius sibi conferas, et provideas etiam de eodem ipsumque Raynaldum Cardinalem ad huiusmodi ius et eius ac litis et cause huiusmodi prosecutionem et defensionem in eo statu, in quo causam ipsam inveniet, et in quo dictus Bartholomeus Cardinalis tempore sui obitus erat, et si viveret,

posset et deberet admitti, admittas et admitti facias, ut est moris. Non obstantibus etc. Datum Rome apud Sanctum Petrum Decimo Kalendas Maii Anno Septimo.

CCCXLI.

1396. 26. Aprilis.

Præposituram de Háj-Szentlőrincz Petro de Csap denuo confert.

(Anni VII. Liber VII. f. 134 t.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Zagrabiensi salutem etc. Dignum arbitramur etc. Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Petri Nicolai de Chap, clerici Agriensis diocesis, petitio continebat, quod olim parochiali ecclesia, prepositura nuncupata, sancti Laurentii de Hay, Colocensis diocesis, ex eo vacante, quod dilectus filius Hermannus de Lompmitz, tunc ipsius ecclesie Rector, parochialem ecclesiam sive plebanatum in Leuche, Strigoniensis diocesis, canonice sibi collatam extitit pacifice assecutus, Venerabilis frater noster Nicolaus Archiepiscopus Colocensis eandem ecclesiam sancti Laurentii sic vacantem eidem Petro auctoritate ordinaria contulit . . . ipseque Petrus eandem . . . extitit pacifice assecutus. Cum autem . . . dictus Petrus dubitat collationem . . . huiusmodi . . . viribus non subsistere, . . . et dicta ecclesia . . . adhuc . . . vacare noscatur, Nos volentes eundem Petrum, apud nos de vite ac morum honestate . . . commendatum . . . favore prosequi gratioso, Fraternitati tue . . . mandamus, quatenus, si per diligentem examinationem eundem Petrum . . . ydoneum ad dictam ecclesiam sancti Laurentii obtinendum esse reppereris, . . . predictam ecclesiam sancti Laurentii, cuius fructus . . . sexaginta marcharum argenti puri . . . valorem annuum . . . non excedunt, . . . eidem Petro conferas et assignes . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Sexto Idus Maii Anno Septimo.

CCCXLII.

1396. 1. Maii.

Per fideiussores Petri, Præpositi Strigoniensis, ducentos florenos, quibus Petrus Bartholomæo condam Cardinali debitor erat, solutos esse, testatur.

(Litteræ Diversæ Anni VII, VIII, IX. Liber IV. f. 61.)

Bonifacius etc. Universis etc. Salutem etc. Universitati etc. Quod cum dilectus filius Petrus Gregorii, Prepositus ecclesie Strigoniensis, teneretur et esset efficaciter obligatus bone memorie Bartolomeo, tituli sancte Pudentiane presbitero Cardinali, ratione arrendamenti prepositure sue, ecclesie sancti Georgii de Viridicampo Strigoniensi, per ipsum Cardinalem eidem Petro facti in ducentis florenis auri, pro termino festo beati Michaelis proxime preterito ad hoc constituto, et dilecti filii Nicolaus Laurentii Archidiaconus de Azwag, in ecclesia Quinqueecclesiensi, Johannes Demetrii, dictus de Swnno, Agriensis, Mathias Petri, sancte Marie Albere-galis, Jasto Poznamensis et Nicolaus Johannis, Sancti Spiritus Casmensis, Zagrabiensis diocesis, ecclesiarum canonici fideiussores per ipsum Petrum super hoc eidem Cardinali dati ac Nicolaus Jacobi, Cantor ecclesie Boznensis, promisissent et essent efficaciter obligati solvere eidem Cardinali pro dicto Petro, qui in dicto termino minime solvit; predictos ducentos florenos auri, quos ante obitum ipsius Cardinalis ex certis causis dispositioni nostre reservavimus, gentibus Camere apostolice de expresso mandato nostro super hoc eis facto die date presentium realiter et cum effectu solverunt et assignaverunt. De quibus sic solutis et assignatis ipsos et dictum Petrum eorumque heredes et successores ac quoscumque alios, quorum interest, tam pro ipsa camera, quam pro heredibus, executoribus et successoribus ipsius Cardinalis quibuscumque auctoritate apostolica et ex certa scientia tenore presentium quietamus, absolvimus penitus et liberamus super ipsis ducentis florenis et eius petitione eisdem heredibus, executoribus et successoribus quibuscumque silentium perpetuum imponentes. Datum Rome apud Sanctum Petrum Kalendis Maii Anno Septimo.

CCCXLIII.

1396. 13. Maii.

Canonicatum et archidiaconatum de Torda in ecclesia Transsilvana Nicolao, parocho de Temesvár, denuo confert.

(Anni VII. Liber VII. f. 80.)

Bonifacius etc. Venerabilibus fratribus Aquensi et Zagrabiensi ac Waradiensi Episcopis salutem etc. Vite ac morum honestas, . . . quibus apud nos dilectus filius Nicolaus Nicolai, Rector parochialis ecclesie sancti Eligii de Themeswar, Cenadiensis diocesis, fidedigno . . . nos inducunt . . . Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Nicolai petitio continebat, quod olim canonicatu et prebenda ecclesie Transilvane . . . ac archidiaconatu de Torda in eadem ecclesia, quos quondam Petrus de Cipzis, ipsius ecclesie canonicus et archidiaconus de Torda in eadem ecclesia, dum viveret, obtinebat, per ipsius Petri obitum, qui extra Romanam Curiam decessit, . . . vacantibus Venerabilis frater noster Maternus, Episcopus Transilvanus, eosdem canonicatum et prebendam ac archidiaconatum . . . eidem Petro . . . contulit, . . . ipseque Petrus . . . eosdem extitit pacifice assecutus. Cum autem . . . dictus Petrus dubitet collationem ... huiusmodi . . . viribus non subsistere . . . et dicte canonicatus et prebenda ac archidiaconatus adhuc . . . vacare noscantur, Nos volentes eidem Petro . . . gratiam facere specialem, Fraternitati Vestre . . . mandamus, quatenus canonicatum et prebendam ac archidiaconatum predictos, quorum fructus . . . ducentorum et quinquaginta florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, . . . eidem Nicolao . . . conferre et assignare curetis. Non obstante, . . . quod dictus Nicolaus predictam parochialem ecclesiam noscitur obtinere. Volumus autem, quod ipse Nicolaus, quamprimum . . . eosdem canonicatum et prebendam ac archidiaconatum fuerit pacifice assecutus, eandem parochialem ecclesiam . . . omnino dimittere teneatur . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Idus Maii Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCXLIV.

1396. 6. Junii.

Johanni Georgii beneficium in diœcesi Vesprimiensi conferri procurat.

(Anni VII Liber LXII. f. 242.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Johanni Georgii Clerico, Quinqueecclesiensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas . . . gratiam liberales. Volentes itaque tibi premissorum meritorum tuorum intuitu gratiam facere specialem, beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius fructus . . . si cum cura, vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedant, ad collationem . . . Venerabilis fratris nostri Episcopi Vesprimiensis et dilectorum filiorum Prepositi, Decani, Scolastici singulorumque canonicorum ecclesie Vesprimiensis pertinens, dummodo canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis non fuerit, si quod vacat ad presens, vel cum vacaverit, quod tu infra unius mensis spatium postquam vacatio illius innotuerit duxeris acceptandum, conferendum tibi donationi apostolice reservamus. Datum Rome apud Sanctum Petrum Octavo Idus Junii Anno Septimo.

Simili modo. Dilectis filiis Abbati Monasterii sancti Martini Sacrimontis Panonnie, Jauriensis diocesis, et Preposito Omnium Sanctorum Vesprimiensis ac Decano Gneznensis ecclesiarum salutem etc.

CCCXLV.

1396. 21. Junii.

Georgio de Zalatna beneficium in diœcesi Zagrabiensi conferri procurat.

(Anni VII. Liber LX. f. 185.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Georgio Benedicti de Zalathnia, clerico Zagrabiensis diocesis, salutem etc. Vite ac morum honestas . . . Volentes igitur . . . beneficium ecclesiasticum cum cura vel sine cura, cuius fructus . . . si cum cura, vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo

marcharum argenti valorem annuum non excedunt, ad collationem ... Venerabilis fratris nostri Episcopi Zagrabiensis et dilectorum filiorum Prepositi, Decani, Cantoris, Lectoris et Capituli singulorumque canonicorum et personarum ecclesie Zagrabiensis pertinens, etiam si canonicatus et prebenda ecclesie Cathedralis fuerit, si quod vacet ad presens, vel cum vacaverit, quod tu ... infra unius mensis spatium, postquam ... vacatio illius innotuerit, duxeris acceptandum, conferendum tibi ... donationi apostolice reservamus ... Datum Rome apud Sanctum Petrum Undecimo Kalendas Julii Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCXLVI.

1396. 21. Junii.

Parochialem ecclesiam de Schava, Strigoniensis diœcesis, Petro Rettev confert.

(Anni VII. Liber LVII. f. 79.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Episcopo Jauriensi et dilectis filiis Dorlanensis ac Pozoniensis, Maguntinensis et Strigoniensis Diocesium ecclesianum, Prepositis salutem etc. Vite ac morum honestas, ... super quibus apud nos dilectus filius Petrus Rettev, presbiter Pragensis diocesis, fidedigno commendatur testimonio nos inducunt. ... Cum itaque, sicut accepimus parochialis ecclesia beate Marie Virginis in Schava, Strigoniensis diocesis, quam quondam Nicolaus dictus de Moravia, ipsius ecclesie Rector, dum viveret, obtinebat, per eiusdem Nicolai obitum, qui extra Romanam Curiam diem clausit extremum, vacaverit et vacet ad presens, Nos volentes eidem Petro ... gratiam facere specialem, Discretioni vestre ... mandamus, quatenus ... eandem ecclesiam, cuius fructus ... viginti florenorum auri ... valorem annuum, ut ipse Petrus asserit, non excedunt, sive premisso sive alio quovis modo ... vacet, dummodo tempore date presentium non sit in eadem ecclesia alicui specialiter ius quesitum, ... prefato Petro auctoritate nostra conferre et assignare curetis. Datum Rome apud Sanctum Petrum Undecimo Kalendas Julii Pontificatus nostri Anno Septimo.

CCCXLVII.

1396. 23. Junii.

Permutationem bonorum inter archiepiscopatum Strigoniensem et Capellam B. Mariæ Virginis Strigoniensis optatam per Episcopum Vaciensem investigari et eius utilitate cognita indulgeri præcipit.

(Originale in Tabulario Primatiali Strigoniensi. Apud Fejér, Cod. Dip. T. X. V. II. pp. 485—6.)

Bonifacius etc. . . . Venerabili fratri Episcopo Vaciensi salutem. His, per que ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum utilitati consulitur, libenter annuimus, illosque favoribus prosequimur opportunis. Exhibita siquidem nuper pro parte venerabilis fratris nostri Joannis, Archiepiscopi Strigoniensis, et dilecti filii Blasii, canonici ecclesie Strigoniensis, ac Rectoris Capelle b. Marie Virginis, iuxta ipsam ecclesiam Strigoniensem situate, petitionis series continebat, quod Joannes Archiepiscopus totalem decimam (comitatus) maioris Hunthensis, Strigoniensis diocesis, videlicet vini, bladi, apum, agnorum, hedorum ad mensam suam archiepiscopalem Strigoniensem, et Blasius, canonicus et Rector predictus Riblien et Henieren [1] in Nitriensi diocesi, ac Akuspalota et Zamard prope civitatem Strigoniensem consistentes possessiones ad dictam Capellam iusto titulo pertinentes pro evidenti mense et Capelle predictarum utilitate desiderant invicem permutare. Quare pro parte ipsorum Joannis archiepiscopi et Blasii nobis fuit humillime supplicatum, ut eis huiusmodi permutandi licentiam concedere de benignitate apostolica dignaremus. Nos igitur huiusmodi supplicationi inclinati de premissis certam notitiam non habentes, Fraternitati tue, de qua in his et aliis specialem in Domino fiduciam obtinemus, . . . mandamus, quatenus de premissis omnibus et singulis et eorum circumstantiis universis te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi reppereris, quod permutatio huiusmodi, si fiat, in evidentem mense et Capelle predictarum cedat utilitatem, super quo tuam conscientiam oneramus, eidem Joannis Archiepiscopo et Blasio permutationem eandem faciendi . . . licentiam largiaris. Datum Rome apud Sanctum Petrum Nono Kalendas Julii Pontificatus nostri Anno Septimo.

[1] Ribény in comitatu Trencséniensi. — Chinoran in comitatu Nitriensi.

CCCXLVIII.

1396. 26. Julii.

Canonicatum ecclesiæ Quinqueecclesiensis, Benedicto, clerico eiusdem diœcesis, iuri suo cedente, Georgio Galli, Custodi eiusdem ecclesiæ, conferri præcipit.

(Anni VII. Liber VII. f. 45 b.)

Bonifacius etc. Venerabili fratri Bertrando Episcopo Eugubino, in Romana Curia commoranti, salutem etc. Vite ac morum honestas ... super quibus ... dilectus filius Georgius Galli, Custos ecclesie Quinqueecclesiensis, fidedigno ... Exhibita siquidem nobis nuper pro parte dicti Georgii petitio continebat, quod orta dudum inter ipsum et dilectum filium Benedictum Blasii, clericum Quinqueecclesiensis diocesis, super canonicatu et prebenda dicte ecclesie, de quibus tunc ex eo, quod dilectus filius noster Valentinus tituli sancte Sabine presbiter Cardinalis, Administrator eiusdem ecclesie in spiritualibus et temporalibus per Sedem Apostolicam deputatus, contra quondam Johannem de Praga, tunc canonicum eiusdem ecclesie, propter hoc ad sui presentiam evocatum legitime procedens, ipsum canonicatu et prebenda, quos in dicta ecclesia tunc temporis obtinebat, suis culpis et demeritis exigentibus per suam diffinitivam sententiam, que nulla provocatione suspensa in rem transivit iudicatam, auctoritate ordinaria privaverat et amoverat etiam ab eisdem, vacantibus Georgius sibi auctoritate apostolica gratiose et canonice mandatum fuisse provideri, ipsosque canonicatum et prebendam vigore gratie et mandati huiusmodi sibi deberi; prefatumque Benedictum se gratie et mandato huiusmodi contra iustitiam opposuisse ... et facere, quominus gratia ... huiusmodi debitum sortiretur effectum, ... prefatumque Benedictum canonicatum et prebendam predictos occupasse, ... Benedictus vero ... eosdem canonicatum et prebendam ad se de iure spectare asserebat, ... materia questionis ... Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, citatio ... nondum sit executioni demandata prefatusque Benedictus liti et cause huiusmodi et omni iuri ... in dictis canonicatu et prebenda ... sponte et libere cedere proponat, Nos votis ipsius Benedicti ... annuentes, ac eidem Georgio ... providere ... volentes, Fraternitati tue ... mandamus, quatenus ab eodem Benedicto ... cessionem huiusmodi ... recipias, ... eaque per te recepta ... eundem Georgium ... in iure et ad ius huiusmodi, si quod dicto Benedicto ... competet ... sur-

roges, . . . prefatumque Georgium ad huiusmodi ius . . . in eo statu, in quo prefatus Benedictus tempore cessionis . . . erit . . . admittas, . . . et nichilominus canonicatum et prebendam predictos, quorum fructus . . . quinquaginta florenorum auri . . . valorem annuum . . . non excedunt, . . . eidem Georgio . . . conferas et assignes. Non obstantibus, . . . quod idem Georgius in predicta custodiam et in beate Marie Albensis, Vesprimiensis diocesis, ecclesiis canonicatum et prebendam, quorum omnium fructus . . . vigintiquinque marcharum argenti . . . valorem annuum . . . non excedunt, noscitur obtinere . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Septimo Kalendas Augusti Anno Septimo.

CCCXLIX.

1396. 30. Julii.

Ut Nicolaus de Tilaj beneficium ad collationem Præpositi de Vasvár pertinens assequatur, procurat.

(Anni VII. Liber LXI. f. 150.)

Bonifacius etc. Dilecto filio Abbati Monasterii sancti Salvatoris in Chopurnuk, Vesprimiensis diocesis, salutem . . . Volentes igitur dilectum filium Nicolaum Valentini de Tilay clericum Jauriensis diocesis, . . . favore prosequi gratioso, Discretioni tue mandamus, quatenus, si . . . ydoneum ad curatum beneficium obtinendum esse reppereris . . . cum cura vel sine cura, et si forsan ita esse non reppereris, dummodo ipsum . . . ad obtinendum beneficium sine cura ydoneum esse reppereris, . . . sine cura dumtaxat beneficium ecclesiasticum, cuius fructus . . . si cum cura vigintiquinque, si vero sine cura fuerit, decem et octo marcharum argenti . . . valorem annuum non excedant, . . . ad collationem . . . Prepositi ecclesie sancti Michaelis de Castroferreo, dicte diocesis, pertinens . . . donationi tue reserves . . . Datum Rome apud Sanctum Petrum Tertio Kalendas Augusti Anno Septimo.

INDEX

(NUMERUS PAGINAM DENOTAT.)

IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR

PROLEGOMENA

REGESTA BONIFACII XI.

ERRORES CORRIGENDI.

Pagina	62.	linea	1.	desuper	loco	LXXV	lege:	LXXIV	
"	63.	"	7.	desubter	"	Colocensi	"	Colocensis	
"	90.	"	17.	desuper	"	Vesprimiensis	"	Jauriensis	
"	124.	"	10.	"	"	1390	"	1391.	
"	133.	"	15.	"	"	Zagabiensis	"	Zagrabiensis	
"	138.	"	14.	"	"	Romanum	"	Romanam	
"	149.	"	17.	"	"	dicta	"	dicto	
"	163.	"	17.	desubter	"	CXCII	"	CXCI	
"	165.	"	11.	desuper	"	omnimodo	"	omnimoda.	
"	175.	"	6.	desubter	"	Johannes	"	Johanne	
"	214.	"	1.	"	"	interdictu	"	interdicto	
"	220.	"	14.	"	"	prebenda	"	præbendæ	
"	222.	"	2.	"	post	excedunt,	supple:	Vesprimiensis	ecclesiarum
"	224.	"	10.	"	loco	Transsilvania	lege:	Transsilvana	
"	231.	"	13.	"	"	CCXXX	"	CCLX	
"	232.	"	4.	desuper	"	CCXXXI	"	CCLXI	
"	232.	"	5.	"	"	1392	"	1393.	
"	233.	"	1.	"	"	CCXXXII	"	CCLXII	
"	233.	"	2.	"	"	1392	"	1393.	

SYMBOLAS PRO HOC OPERE EDENDO ADUSQUE OBTULERUNT.

Eminentissimus ac Reverendissimus Cardinalis JOANNES SIMOR Primas Regni, Archiepiscopus Strigoniensis 200 aureos.

Eminentissimus ac Reverendissimus Cardinalis LUDOVICUS HAYNALD Archiepiscopus Colocensis per decennium annue 500 florenos.

Eminentissimus ac Reverendissimus Cardinalis JOSEPHUS MIHAJLOVICS Archiepiscopus Zagrabiensis per decennium annue 200 florenos.

Excellentissimus ac Reverendissimus AUGUSTINUS ROSKOVÁNYI Episcopus Nitriensis annue 1000 florenos.

Excellent. ac Rmus ALEXANDER BONNAZ Episcopus Csanadiensis per quinquennium annue 500 florenos.

Excellent. ac Rmus JOANNES EVANG. ZALKA Episcopus Jauriensis 200 florenos.

Excellent. ac Rmus LAURENTIUS SCHLAUCH Episcopus Varadiensis per decennium annue 400 florenos.

Excellent. ac Rmus FERDINANDUS DULÁNSZKY Episcopus Quinqueecclesiensis per decennium annue 100 florenos.

Excellent. ac Rmus GEORGIUS CSÁSZKA Episcopus Scepusiensis per decennium annue 300 florenos.

Excellent. ac Rmus CONSTANTINUS SCHUSZTER Episcopus Vaciensis per decennium annue 100 florenos.

Illmus ac Rmus SIGISMUNDUS BUBICS Episcopus Cassoviensis per decennium annue 250 florenos.

Illmus ac Rmus CLAUDIUS VASZARY Archiabbas S. Montis Pannoniæ per decennium annue 300 florenos.

Illmus ac Rmus VICTOR KACZVINSZKY Præpositus Jaszoviensis Ord. Præm. per decennium annue 100 florenos.

Rmus VINCENTIUS SIMON Præpositus Csornensis Ord. Præm. per decennium annue 100 florenos.

Rmus HIERONYMUS SUPKA Abbas Zirczensis Ord. Cist. per decennium annue 300 florenos.

Magnif. ac A. R. D. ANDREAS KALMÁR Præp. Provincialis O. Scholarum Piarum per decennium annue 30 florenos.

Metropolitanum CAPITULUM STRIGONIENSE per decennium annue 600 florenos.

Metropolitanum CAPITULUM COLOCENSE 150 florenos.

Metropolitanum CAPITULUM AGRIENSE per decennium annue 500 florenos.

Capitulum Cath. E. MAGNOVARADIENSIS per decennium annue 500 florenos.

Capitulum Cath. E. QUINQUEECCLESIENSIS per decennium annue 100 florenos.

Capitulum Cath. E. CSANADIENSIS per decennium annue 100 florenos.

Capitulum Cath. E. NITRIENSIS 200 florenos.

Capitulum Cath. E. JAURIENSIS 200 florenos.

Capitulum Cath. E. ALBAREGALENSIS per decennium annue 150 florenos.

Capitulum Cath. E. SCEPUSIENSIS per decennium annue 50 florenos.

Capitulum Cath. E. SZATMARIENSIS per decennium annue 50 florenos.

Capitulum Cath. E. ROSNAVIENSIS per decennium annue 50 florenos.

Capitulum Cath. E. NEOSOLIENSIS per decennium annue 50 florenos.

Capitulum Colleg. E. POSONIENSIS per decennium annue 100 florenos.

Illmus ac Rmus JOSEPHUS NÉMETH Capituli E. C. Csanadiensis Præpositus M. per decennium annue 50 florenos.

Illmus ac Rmus JOANNES RACSEK Capituli E. C. Magnovaradiensis L. Præpositus M. 500 florenos.

Illmus ac Rmus JOSEPHUS DANKÓ Prælatus S. P. E. M. Strig. Canonicus per decennium annue 150 florenos.

Rmus ANTONIUS SUJÁNSZKY E. M. S. Canonicus 500 florenos.

Rmus GUILELMUS FRAKNÓI E. C. Magnovaradiensis L. Canonicus per decennium annue 500 florenos.

Rmus CAROLUS RIMELY Abbas SS. Salvatoris de Lekér E. C. Posoniensis Canonicus per decennium annue 100 florenos.



461244/1

[redacted]

DM 125.—